Hartman, Wolfgang
De quinque aetatibus Hesio-
deis

DE QUINQUE AETATIBUS HESIODEIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
ACADEMIAE ALBERTO-LUDOVICIANAE
FRIBURGENSIS
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

WOLFGANG HARTMANN
FRIBURGENSIS.

FRIBURGI BRISIGAVORUM.
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA CARITATIS.
1915.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Alfred Koerte.

MATRI CARISSIMAE

S.

Libri conspectus.

pag.

Exordium: quae ratio intercedat inter narrationem de aetatibus et totum Operum carmen 9

Tractatio.

Cap. I: quaestiones criticae 11

Cap. II: quid e narrationis discrepantiis efficiendum sit . . 17
1. discrepantiae colliguntur 18
2. virorum doctorum sententiae percensentur . . . 22
3. discrepantiae unde ortae sint exponitur 26
4. narrationis partes antiquiores ab iis quas Hesiodus adiecisse videtur disiunguntur 28

Cap. III: de narrationis antiquioris origine et sensu 37
1. de aetate aurea (comparatis opinionibus Homericis) 37
2. de aetate argentea 43
3. de antiquissimae narrationis argumento et sensu . 45
4. de origine et sensu nominum 46
5. de rerum humanarum progressu quid poetae Homerici senserint 49

Cap. IV: de narrationis Hesiodeae origine et sensu 52
1. quid Hesiodus de narratione antiquissima senserit 52
2. de tertia et quarta aetate inserta 53
3. quid Hesiodus legentem docere voluerit 56

Finis: de Hesiodi narratione iudicium 63

Conspectus librorum potiorum quibus usus sum.

Bamberger, Hesiods Mythus von den ältesten Menschengeschlechtern, Mus. Rhen. n. s. I (1842), p. 524 sqq.

Betke, De Hesiodi Operum et Dierum fine, compositione e. q. s., diss. Monast. 1872, p. 39 sqq.

Buttmann, Über den Mythus von den ältesten Menschengeschlechtern, sess. relat. acad. Berol. 1814/15 = Mythologus II, 1 sqq.

P. Friedlaender, relatio orationis in Zeitschrift für das Gymnasialwesen 1912 curs. ann. 76, p. 802 sqq.

Fuss, Versuch einer Analyse von Hesiods *Ἔργα καὶ Ἡμέραι*, diss. Giss. 1910.

Goettling-Flach, Hesiodi carmina[3]. Lips. 1878.

Graf, Ad aureae aetatis fabulam symbola, stud. Lips. VIII (1885), 3 sqq.

Kirchhoff, Hesiods Mahnlieder an Perses. Berol. 1889.

Lehrs, Quaestiones epicae Regimont. 1837, p. 230 sqq.

Ed. Meyer, Hesiods Erga und das Gedicht von den Weltaltern, Genethliakon C. Robert dargebracht (Berol. 1910), p. 157 sqq.

Preller-Robert, Griechische Mythologie[4] (Berol. 1894) p. 87 sqq.

E. Rohde, Psyche [5/6] I (Tubing. 1910), p. 91 sqq.

Roth, Der Mythus von den fünf Menschengeschlechtern bei Hesiod und die indische Lehre von den vier Weltaltern, Dr. = Verzeichnis Tubing. 1858/59.

Steitz, Die Werke und Tage des Hesiod (Lips. 1869) p. 50 sqq.

Vollbehr, Hesiodi Opera et Dies, ed. (Kilon. 1844), p. 33 sqq.

Initio dissertationis non alienum mihi videtur quaerere, quae ratio inter narrationem de quinque hominum aetatibus et totum Hesiodi carmen quod *Ἔργα καὶ Ἡμέραι* inscribitur — cuius pars narratio est — intercedat. Atque totius carminis formam optime explicavisse mihi videtur W. Fuß, cum diceret: „Der Dichter hat von ihm selbst herrührende, aber ursprünglich für sich allein bestehende Lieder zu einem Ganzen vereinigt." [1] His singulis carminibus quae sola orta sunt, non ita, ut in maiore carmine locum haberent, etiam de qua disputaturus sum narrationem adnumero, quippe cuius sententia non praecipue ad Persen, fratrem poetae, immo potius ad populares eius spectet. Sed de hac re dubitari non potest, quin narratio quam legimus Hesiodea sit. Hoc a primo his rebus verisimile fit quae a Liscone significatae sunt [2], primum versibus 106—107 quibus transitus ad narrationem paratur [3], deinde versibus 174—175 qui eandem dicendi rationem ostendunt, porro eo, quod tota de ferrea aetate disputatio optime quadrat in ea quae He-

---

[1] Versuch einer Analyse von Hesiods *Ἔ. καὶ Ἡ.* p. 24. *Commentationum quae saepius afferuntur titulos accuratiores invenies in librorum adhibitorum conspectu addito.*

[2] Quaestiones Hesiodeae, diss. Gotting. 1903, p. 61 sq.

[3] Versum 108 retineri non posse optime fortasse ostendit ipse Ed. Meyer qui eum defendere studuit (Genethliakon p. 168 sq.). Sane, quomodo in textum irrepserit, enodari non potest — nam ne hoc quidem verisimile mihi videtur versum ad aliam fabulam deperditam transitum fecisse propter certum illud *ἕτερόν τοι ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω* — sed certe cum narratione sequente nullo modo coit. — E versu 108 et nonnullis aliis rebus E. Graf (Leipziger Studien VIII, p. 6 sqq.) aureae aetatis descriptionem olim ampliorem fuisse conclusit; sed ex eius argumentis nullum certum mihi videtur esse. Versu 108 plane alia res indicatur atque narratione ipsa exponitur.

siodus in proxima Operum parte de iniustitia, qua totius populi vita in peius vertatur, exponit. Quibus argumentis alia adicere posse mihi videor. Occurrunt in narratione adiectiva composita qualibus Operum poeta uti solet et quorum nonnulla ipse formasse videtur velut *δωροφάγος* (v. 39, 264), *πλουτοδότης* (126), *ἰθυδίκης* (230), *ἐτωσιοεργός* (411), *ἀμβολιεργός* (413), *βούδορος* (504), *ἁπαλόχροος* (519), *ἀκροκνέφαιος* (567). Versus 196 duo eiusmodi adiectiva praebet quae in carminibus Homericis non leguntur, *κακόχαρτος* et *στυγερώπης*, quorum primum etiam in Op. v. 38 habemus. Etiam aliud narrationi cum Operibus commune est: ratio indicandi, quid hominibus contigerit. Saepius enim poeta in Operibus, ut adhortationes plus auctoritatis habeant, praemia vel poenas proponit, velut versibus 225 ad 237, 238—247, 260 sqq., 282—285, 302, 308—316, 321 ad 326. Postremo commemorem Operum v. 237 et ad v. 117—118 et ad v. 173 alludere. Hoc iudicium quaestione ipsa certius fore spero, praecipue cum, quid poetae consilium fuerit, perspexerimus. Ad hanc igitur accedamus. Ac primo quidem capite de nonnullorum locorum textu constituendo agam, ceteris difficultates et discrepantias quas multas narratio praebet perscrutatus, quomodo narrationis Hesiodeae forma orta sit, exponam, fabulam ipsam explicabo, Hesiodi consilium persequar.

Cap. I.

De versu 112[1].

Ed. Meyer pro lectione tradita 'δ' ἔζωον' 'ζώεσκον' scribere vult[2] quod Diodori codicum parte traditur. Sed praetermisit, quod in codicibus AN quibus eaedem horum versuum lectiones traduntur atque Hesiodeis δ' ἔζωον legitur. Itaque lectio codicibus Hesiodeis tradita confirmatur.

De versu 113.

Non recte Rzachium particulam *τε* quae offensioni est in textu retinuisse puto, praesertim cum compluribus omnium classium codicibus non tradatur. Deest in codd. ΩbDLΦ, neque Herodianus rhetor eam novit. Etiam in versu simillimo 91 *τε* in ΩIL et apud Eustathium deest, in Q a manu recentissima insertum est. Omissum est igitur in utroque versu codicibus GHLQ. Hoc casu effectum esse vix potest. Quomodo autem versus explendus est? Koechly utroque loco *καμάτων* proposuit quod in v. 91 quidem optime quadrat. Sed dubito habeatne etiam in v. 113 locum. Neque utroque loco idem verbum fuisse necesse est, cum diversa tradantur: v. 91 *κακῶν*, v. 113 *πόνων*. In v. 113 genuinam lectionem *ν ο ύ σ ω ν* fuisse puto hac de causa. In titulo Talmitano (apud Kaibelium epigr. Graec. e lap. conl. No. 1023) leguntur versus hi (cum supplementis certis).

. . . *σῷζε πάντοτε καὶ σφᾶς καὶ δμῶας πατρίδ' ἱκέσθαι* 9
νόσφιν ἄτερ νούσου καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο, κτλ. 10

Versus 10 Operum versui 91 simillimus ex eo ortus esse videtur. Sane non plane cum eo congruit, quia *νούσων*

[1] Hesiodi versus, cum praesto sint legenti haec et iudicanti, transscribere omittam.

[2] Genethliakon, C. Robert dargebracht p. 169, A 1.

in v. 91 propter sequentem versum scribere non possumus. Sed facile fieri potuit, ut versus simillimi 91 et 113 permiscerentur. Itaque verisimile mihi videtur v. 113 verbis *νόσφιν ἄτερ νούσων* coepisse — tituli numerus singularis per se patet. Gravissimum autem est, quod haec lectio aureae aetatis descriptioni optime respondet, quin etiam necesse erat indicari illos homines morbis liberos fuisse, quod etiam in versibus 90—92 fit, ubi ad auream aetatem alluditur. Etiam poeta qui Od. XV, 403—414 vitam hominum in Syria insula habitantium describit indicat

οὐδέ τις ἄλλη 407
νοῦσος ἐπὶ στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν. 408

De versibus 121—126.

In his versibus duae insunt difficultates. Primum in versibus 122—123 quaeritur, utrum textus codicibus Hesiodeis traditus quem Rzach in editionibus reddit tenendus an cum Leone[1] et Ed. Meyero[2] textus quem Plato praebet praeferendus sit. Deinde in versibus 124—125, utrum Hesiodei an postea inserti sint, quaestio est.

Ab hac incipiamus. Plurimi interpretes et editores in quorum numero etiam Rzach est versus Hesiodo abiudicant, sed neque desunt qui versus teneri posse putent, velut Rohde[3] et nuper Fuß[4]. Versus congruunt cum versibus 254—255. Quare aureae aetatis daemones idem esse videntur atque ei de quibus versibus 252 sqq. poeta dicit. Re vera autem non idem sunt et versus 124—125 ab aureae aetatis daemonum descriptione abhorrent. Verbo enim *πλουτοδόται* (v. 126) hos daemones hominibus favere apparet. Versu 124 autem ius et facinora observare dicuntur, id est, id enituntur, ut facinora in lucem veniant et nefarii puniantur. Sane utrumque daemonum genus dicitur *φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων*, sed versuum 121 sqq. *φύλακες* alii sunt atque ei de quibus versibus 252 sqq. agitur. Quod quidem optime cogno-

[1] Hesiodea p. 17. [2] l. a. p. 175, A 1.
[3] Psyche [5,6] p. 96, A 1. [4] l. a. p. 38, A 2.

vit Betke cum dixit: „... prorsus diversi sunt Iovis satellites, iniuriarum et scelerum vindices, de quibus infra sermo fit, ab his innoxiis daemonibus qui tutelarium numinum instar inter homines versantur eosque custodiunt et beneficiis augent ..." [1] Habemus igitur duo daemonum genera, ut versus 124—125 locum tenere non possint. Qui eos inseruit eo certe consilio hoc fecit, ut ea exaequaret, adductus eo quod ambo *φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων* nominantur. Ideo quoque offensioni sunt, quod in aureae aetatis descriptione nihil de moribus dictum est.

Inde etiam alteram difficultatem solvi posse puto. Versus 122 sq. apud Platonem plane aliter proferuntur. Atque in *duobus* dialogis Plato a lectione codicum Hesiodeorum discedit, ut non casu hoc factum esse appareat, immo philosophum illam lectionem omnino non novisse putandum sit. Tamen Rzach eam in textum non recepit, puto quia adeo ab illa diversa est. Sed praeferenda est hac de causa. In lectione codicum Hesiodeorum verba *Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς* (v. 122) offensioni sunt propterea, quod secundum versum 111 aureae aetatis homines Saturno rege vivebant et Iuppiter argentea demum aetate exeunte regnum adipiscitur. Hoc a Vollbehro cognitum est qui etiam animadvertit apud Platonem hoc loco Iovis mentionem non fieri. Tamen lectionem apud Platonem servatam in textum recipere noluit: ‘at vulgatae lectionis auctoritas defenditur versibus 252 sq.’ [2] Apparet autem eum verba *ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες* respexisse. Certe Vollbehr hoc argumento uti potuit, quippe qui versus 124—125 retineret et vv. 121—126 de eisdem daemonibus intellegeret atque vv. 252 sqq. Postquam autem vidimus versus 124—125 postea insertos esse, ut daemones exaequarentur, inverso modo iudicandum est: verba *Διὸς μεγάλου διὰ βουλάς* non magis genuina sunt quam versus 124—125, immo ipsa quoque propter versus 252 sqq. inserta sunt, quo magis duo illi loci similes fierent. Itaque dubium non potest esse, quin lectio in utroque Platonis loco servata genuina

---

[1] De Hesiodi Operum et Dierum fine..., diss. Monast. 1872, p. 52.

[2] Hesiodi Opera et Dies, prolegomena adnot. 90.

sit[1]. Accedit, quod vocabulum *ἀλεξίκακοι* quod hac lectione praebetur ad aureae aetatis daemonum naturam et indolem de qua supra disputavi optime quadrat. Nolo tamen cum Ed. Meyero in versu 121 e Platone *μοῖρ᾽ ἐκάλυψε* recipere, quia etiam in v. 140 qui manifeste versum 121 repetit *γαῖ᾽ ἐκάλυψε* legitur.

De versu 132.

In hoc versu inferiorum codicum lectionem *ἡβήσειε* praeferam, quia non est, cur verba *ἡβῆσαι* et *ἥβης μέτρον ἵκοιτο* quibus idem significatur particulis *τε — καὶ* distinguantur.

De heroibus non post Hesiodum insertis.

Hanc narrationis partem post Kirchhoffium nuper Hesiodo abiudicavit G. Raddatz[2], cum protulit Platonis in re publica locum VIII, p. 546e, ubi philosophus dicit: *ἐκ δὲ τούτων ἄρχοντες οὐ πάνυ φυλακικοὶ καταστήσονται πρὸς τὸ δοκιμάζειν τὰ Ἡσιόδου καὶ τὰ παρ᾽ ἡμῖν γένη, χρυσοῦν τε καὶ ἀργυροῦν καὶ χαλκοῦν καὶ σιδηροῦν.* Cum hoc loco quattuor tantum commemorentur aetates a metallis nominatae, Platonem heroum aetatem in narratione non novisse contendit. Sed hic locus mea quidem sententia ad aetatem improbandam non magis valet, quam quod apud Ovidium et alios poetas Romanos quattuor tantum aetates enumerantur. Cui enim post Platonis tempus in mentem venire potuit heroes in narrationem Hesiodeam inserere? Hoc fieri non potuit, nisi eo tempore quo quae carminibus Homericis narrantur maxime viguerunt et credebantur. Hoc ipso Hesiodi tempore erat. Platonis autem temporibus quibus homines heroum factis non aeque movebantur tantum aberat, ut haec aetas insereretur, ut qui eam legerent vel offenderent in ea, quia metallorum seriem interrumpit. Hac de causa Plato eius rationem non habuit. Antiquitas autem horum versuum optime demonstratur verbis versus 163 *μήλων*

---

[1] Itaque non est, cur propterea de textus Hesiodei fide nimis dubitemus.

[2] De Promethei fabula Hesiodea . . . diss. Gryphisvald. 1909, p. 28 adnot.

ἕνεκ' Οἰδιπόδαο. Quae perinde etiam ipsius descriptionis proprietate apparet: non res bello gestae celebrantur, immo indicatur tantum heroes bellis *perisse*. Gloria bellis parata ne verbo quidem tangitur. Laudatur contra heroum iustitia quae in carminibus Homericis minus insignis est. Ex quibus rebus saepius iam viri docti recte concluserunt horum versuum poetam belli amatorem non fuisse neque deerant qui hanc sententiam in Hesiodo agricola optime intellegi cognoscerent [1].

De versu 169.

De hoc versu recte iudicavit Ed. Meyer [2]. Sed refutanda est eius de scholio Procli ad hunc versum (quod falso ad v. 158 traditur) [3] sententia [4]. Meyer lectione tradita τοῦτον καὶ τὸν ἐξῆς servata scholium intellegit de versibus 169 et 170 quibus remotis critici veteres versum 168 cum versu 171 coniunxerint. Sic etiam Rohde scholium intellexit [5]. Huic interpretationi obstat quod de versibus 169 et 170 scholium intellegi non potest. Qua enim re hi versus a sequentis aetatis initio abhorrent? Fieri non potest, ut critici illi *hos* versus respexerint, praesertim cum versus 168 versu 171 excipi non possit propter durum a praepositione ἐς transitum ad praepositionem ἐν. Ad quos autem versus scholium referendum sit, ex ipso cognoscere licet. Critici illi versus quos removere volunt maxime a verbis ἢ ἔπειτα γενέσθαι (v. 175) discrepare indicant e quibus et Proclus et Moschopulus recte concluserunt poetam aliquando melius tempus eventurum sperare. Hoc nisi de uno versu 169^{c} non potest statui. Ergo scholium de versibus 169—169^{e} intellegendum est et recte Schoemann τὸν in τοὺς mutavit.

De versibus 179—181.

Hos versus Rzach uncis saepsit secutus Lehrsium. Videamus primum de versu 179. Quem Lehrs Hesiodo ab

---

[1] Vide quae dicit Steitz, Die Werke und Tage des Hesiod … p. 57. [2] l. a. p. 173.

[3] Poetae Graeci minores ed. Gaisford, vol. II, p. 157.

[4] l. a. p. 182, A 1. [5] l. a. p. 105, A 1.

interpolatore quodam oppositum esse putat. Nuper eum defendit Fuß, cum diceret: „Aber kann der Dichter nicht selbst sich diesen Einwurf machen?“ [1] Mihi quidem hac in re Lehrs recte iudicasse videtur. Versus minime quadrat in totam descriptionem tristissimam et morosam. Assentior Steitzio qui dixit: „ . . . es ist doch offenbar, daß in einem Zeitalter, wie das 182—201 geschilderte unmöglich *καὶ τοῖσι μεμείξεται ἐσθλὰ κακοῖσιν.*“ [2] Hesiodum talem sententiam hic proferre omnino non voluisse infra, ubi Hesiodi in hac parte consilium exponam, perspicuum fiet. Quod autem Meyer, si versum reiecerimus, Hesiodum se ipsum abicere contendit [3], poetam inde a versu 177 verborum tempore futuro uti non satis respicit.

De versibus 180—181 Fussio assentior. Recte enim exponit sensum versuum non esse: *numquam* Iuppiter hoc genus perdet, ut Lehrs interpretatus erat, sed: interibit, si plane degeneraverit [4]. Hos versus toti imagini optime respondere Vollbehr vidit cum ‘apud veteres poetas odium senii gravissimum deprehendi’ monuit [5]. Significatur autem versu 181 corporis degeneratio neque recte Meyer eum de ‘Altklugheit’ intellexit [6].

De versibus 185—189.

Hi versus post Hesiodum adiecti mihi videntur. Atque versus 189 iamdudum pro interpolato habetur. Etiam versus 187—188 addubitati sunt: in suspicionem venerunt Heynio [7] et Steitzio [8]. Contra quos Hiller hos versus ab antecedentibus separari non posse ostendit [9]. Sed pluribus de causis *omnes* de parentibus versus Hesiodo abiudicandos esse censeo. Primum in universum non intellego, cur poeta tam fuse de liberorum in parentes iniuria agat, cum iam versu 182 fore, ut pater et liberi non iam consentiant, pro-

---

[1] l. a. p. 39, A 2. [2] l. a. p. 70.
[3] l. a. p. 185. [4] l. a. p. 40, A 1.
[5] l. a. p. 45. [6] l. a. p. 185.
[7] Ad Hom. Il. XVI 422, vide Goettling-Flach ad V. 187.
[8] l. a. p. 70 sq. [9] Fleckeis, ann. 1870.

posuerit, ut eum iterum de hac re locuturum esse non exspectemus. Suspicio inde augetur, quod versibus multi flosculi Homerici continentur, ut ex Rzachii editione maiore cognoscere licet. Deinde offensioni est locutio ὄπιν εἰδέναι de qua Steitz loco allato disputavit. Accedit quod versibus 185—189 remotis versus 190 optime excipit versum 184, quin verbi οὐδὲ anaphora hi versus artissime cohaerere videntur. Etiam sententia versibus remotis bene progreditur: fore, ut neque frater diligatur, ut prius, neque bene iurasse valeat neque iustum aut bonum aestimetur. Poetam a fratre ad eiusmodi res transgredi proximum erat; etenim e versu 282 elucet poetam putare fieri posse, ut Perses peieret. Hic sententiarum nexus poetae adeo in proximo erat, ut iudicandum sit sententiarum progressum versibus 185—189 interrumpi. — Versus 189 qui cum sententiis prolatis omnino non coit non una cum antecedentibus insertus esse videtur, sed novissimis temporibus eum accessisse putandum est.

Cap. II.

Narrationis nostrae explicatio singularium rerum interpretatione minime absoluta est, immo maximas difficultates tota narratio praebet. Etsi autem, quid Hesiodus voluerit, maxime e ferreae aetatis descriptione elucet, tamen qui narrationem plane intellegere vult etiam progressum qui ea proponitur respicere debet. Ac primum quidem quaerendum est, utrum fabula tota ab ipso Hesiodo inventa sit, an antiquiora insint elementa et quae haec sint. De hac re etsi viri docti hic illic sententias protulerunt, tamen nemo adhuc ad sententiam suam comprobandam quaestionem instituit. Sententiae autem sunt hae. Priorum interpretum plurimi Hesiodum narrationis auctorem esse omnino negaverunt. Primus *Vollbehr* fabulam de quinque aetatibus 'ab Hesiodo poeta paululum immutatam' esse contendit[1]. *Steitz* heroes ab Hesiodo adiectos esse putavit[2]. Eandem sententiam protulit *Peppmueller*[3]. *Betke* eum ad fabulam antiquissimam

[1] l. a. p. 27. [2] l. a. p. 61. [3] Fleckeis. ann. 141 (1890), p. 563.

duas priores aetates amplexam reliquas tres adiecisse censuit[1]. Etiam magis recentiorum interpretum sententiae differunt. *Rohdeo* Hesiodus narrationis maximam partem ab antiquioribus poetis mutuatus esse videtur, heroum tantum aetatem ab ipso Hesiodo confectam esse existimat[2]. Contra *Ed. Meyer* eum nihil nisi aureae aetatis imaginem suscepisse, ceterum totam narrationem ex ipsius ingenio profluxisse contendit[3]. Nuperrime *P. Friedlaender* de narratione usus est his verbis 'die neu überdachte und geformte Sage von den fünf Weltaltern'[4]. Antea in oratione tertiam et quartam aetatem ab Hesiodo adiectam esse exposuerat[5].

Ex his apparet operae pretium esse in hanc rem accuratius inquirere, ut, quatenus Hesiodi sit narratio, perspicuum fiat.

Ad hanc quaestionem solvendam magni momenti esse puto aliud aliquid quod etiam per se dignum est cui animum intendamus: praebet narratio multas miras discrepantias ad sententiam ipsam pertinentes quibus diversa fit. Exspectandum est has discrepantias — nisi forte post Hesiodi tempus exstiterunt quod fieri non posse cognoscemus —, quomodo narratio orta sit, patefacturas esse. Quare has res diligentius perscrutabor, etsi hanc quaestionem difficillimam esse ex eo elucet, quod qui adhuc eam temptaverunt non diversa tantum sed etiam satis mira effecerunt. Suscipienda est propter id ipsum, quod inde etiam, quatenus Hesiodi sit narratio, cognosci posse spes est.

Ut iam ad quaestionem propositam accedam, proximum est, ut offensiones quarum magna multitudo narrationi inest colligantur. Neque quicquam omittendum aut velandum est; facilius enim, difficultates si respexerimus omnes, quomodo ortae sint, perspiciemus.

1.

Possumus autem discernere difficultatum genera quattuor. Primum spectat ad argumentum. Aurea aetate perfectus vitae humanae status describitur. Illi homines liberi erant ab

---

[1] l. a. p. 44. [2] l. a. p. 94. [3] l. a. p. 174.

[4] Hermes 48 (1913), p. 562.

[5] De qua refertur in Zeitschrift für das Gymnasialwesen 1912 (76. Jahrg.), S. 802 sqq.

omnibus rebus quas homines aegre ferunt et possidebant omnia quae homines appetunt. Sed *externae* tantum vitae imago datur, nullo verbo *mores* illorum hominum tanguntur. Exspectamus igitur poetam procedente narratione exponere velle, quomodo hic florentissimus status depravatus sit et praesens status exstiterit. Sed iam in argenteae aetatis descriptione hoc propositum recedit et nova res introducitur. Etsi enim initio de externa hominum vita agitur, brevibus tantum hoc fit, non absolute et subito poeta ad morum descriptionem transit quae praeter exspectationem cadit. Itaque consilium quod ex aurea aetate statuimus immutatur et augetur, ita vero, ut nova res magis emineat. Deinde in aeneae aetatis descriptione ad mores vix alluditur (v. 146) neque vero externus status fusius exponitur, immo maxime poetae interest magnitudinem et vim illorum hominum depingere. Unde apparet neque in hac parte primum consilium servari. In heroibus mores primo loco ponuntur. Postremo in imagine quae in quinta aetate de tempore futuro depingitur copiosissime de moribus disseritur. Videmus igitur narrationis argumentum non unum et idem esse et narrationem aliter progredi atque secundum initium exspectamus et exspectare possumus. Poeta proposito consilio non stat. — Suscipio hic offensionem quandam Lehrsii[1] quae, etsi a Schoemanno[2] et Vollbehrio[3] refutata putatur, tamen re vera manet neque refutari potest. Infra, cum discrepantiis usus narrationis elementa vetusta et partes ab Hesiodo adiectas discernere conabor, de hac offensione fusius disseram.

Alterum genus offensionum ad sensum et sententiam pertinet. Progressus ab aureo ad ferreum saeculum quo praesens tempus significatur non consentaneus est, quamquam nomina a metallis sumpta talem progressum indicare videntur. Exspectamus enim metallorum serie a pretiosissimo metallo ad vilissimum descendente significari hominum vitam per quinque — vel quattuor — gradus a perfecto aurei

---

[1] Quaestiones epicae p. 230, A. 13.
[2] Opusc. II, p. 306 sq. [3] l. a. p. 40 sqq.

saeculi statu in praesentis temporis statum ita depravatam esse, ut sequens quaeque aetas antecedente peior esset. Neque aliter haec nomina intellegi possunt, si non solum unum quodque metallum aetati a se nominatae, sed etiam series metallorum aetatum ordini respondet, quod ipsa seriei constantia comprobatur.

Ab hac exspectatione aetatum progressus quam maxime abhorret. Statim transitus ab aureo ad argenteum saeculum valde abruptus est, ut hoc a nonnullis interpretibus oppositum aureo vel plane malum intellectum sit[1]. Certe hoc saeculum non apte ab argento nominatur. Repugnant in primis quae de eius moribus dicuntur. In tertio saeculo, etsi nomen aenei ad ipsius descriptionem optime quadrat, tamen, si progressum ab argento respicimus, non magis aptum est. Quare enim tertium saeculum antecedente inferius sit, nisi ex eo quod de horum hominum exitu indicatur, non intellegitur[2]. Neque de vita neque de moribus hoc dici potest. Quin, si mores spectamus, aeneum saeculum vel praeferemus. Itaque huius saeculi nomine ipsius tantum, non antecedentis saeculi ratio habetur. Nescio an hoc ipse poeta senserit ideoque versibus 150—151 propriam nominis explicationem dederit. Videtur igitur is qui hanc partem confecit sensum quem e nominibus effecimus non respexisse. Sequens aetas cui metalli nomen deest declinantem in peius mutationem ita interrumpit, ut hunc poetam progressum continuo descendentem omnino non voluisse putandum sit[3].

His rebus tertio loco fortasse adicere licet quod, cum primum et alterum saeculum cogitatione tantum depictum et ex ubertate ingenii profluxisse videatur, reliquis quodam modo veri vitae humanae status significantur. Nam, ut omittam quintum saeculum ad poetae ipsius tempus spectare

---

[1] Buttmann, Mythologus II, p. 3 et 12. Bamberger, Mus. Rhen. n. s. I (1842), p. 529 sq. E. Meyer l. a. p. 179. R. Roth, Index virorum doctoris gradum assecutorum, Tubing. 1858/59, p. 15.

[2] Graf l. a. p. 8: 'maxima iam secundae aetatis nequitia neque augetur tertia'.

[3] Sic Bamberger l. a. p. 524.

et ea quae de heroibus proferuntur antiquitus tradita esse, etiam tertium saeculum aliquam veri status speciem habet. Etsi enim non de ipsorum antiquitate Graecis tradita eo continentur, tamen in veris animadversionibus positum est. Illorum hominum feritas optime illustratur verbis *οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον* (v. 146—147). Hoc certo consilio indicatum esse insequentia verba docent e quibus egregia de vitae humanae condicionibus cognitio elucet

ἀλλ᾽ ἀδάμαντος ἔχον κρατερόφρονα θυμόν[1]. 147

Similis cognitio demonstratur verbis *μέλας δ᾽ οὐκ ἔσκε σίδηρος* (v. 151). Novit hic poeta — quod e carminibus Homericis colligere licuit — ferrum non a primo in hominum usu fuisse, sed tempus fuisse quo pro ferro aere homines utebantur[2].

Postremo etiam verba quae in narratione adhibentur digna sunt ad quae animum intendamus. Cum tres priores aetates neque insignia verba praebeant quae ab Homero mutuata sint — exceptis alterius et tertiae aetatis exitibus — neque verba quae proprie Hesiodea esse videantur, quartae aetati multi flosculi Homerici insunt et quintae aetatis dictionem Hesiodeam esse iam supra ostendi. Notandum etiam est, quod in aetate aenea duo versus Theogoniae artificiose coniunguntur. Est enim Operum v. 148 similis Theogoniae versui 649 et Op. v. 149 par est Theog. versui 673 qui ipse cum Theog. versu 152 congruit. Unde

---

[1] Mirum est, quod concretum abstracto excipitur. Omissa est sententia media haec: homines qui pane vescuntur eruditiores sunt. Sententia igitur tota haec est: pane non vescebantur (id est, agriculturae non studebant) qua re homines eruditiores fiunt et ad humanitatem excoluntur, immo animos feroces et saevos habuerunt. Sic sententia supplenda est. Ostendit autem notum esse poetae homines agros colentes cultiores esse. Huius cognitionis etiam apud Homerum vestigium habemus. Neque enim casu accidisse puto, quod de Laestrygonum ferorum hominum terra dicitur

ἔνθα μὲν οὔτε βοῶν οὔτ᾽ ἀνδρῶν φαίνετο ἔργα (Od. X 98).

[2] Tam subtilis sententia nequaquam interpolatori tribuenda est. Neque erat, cur quis tale quid in descriptione desideraret, quia aes per se ad aetatem optime quadrat. Verba *χαλκῷ δ᾽ εἰργάζοντο* quodam modo verbis *οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον* obloqui concedo neque vero hoc argumentum ad versus improbandos sufficere puto.

hoc certe efficiendum est huius aetatis descriptionem a poeta aliquo confectam esse qui Theogoniam pernoverat. Etsi ex his observationibus per se multum effici non potest, tamen fortasse alicuius momenti erunt ad alias res vel confirmandus vel improbandas.

Hae sunt mirae narrationis discrepantiae ut narrationem ipsam et virorum doctorum scripta huc pertinentia perscrutatus eas cognosco.

Iam eas explicare conabor.

2.

Ad id haud inutile mihi videtur gravissima quaeque a viris doctis effecta proferre. Quamvis enim mea sententia a prioribus differat, tamen multum illis etiam ubi erraverunt debeo. Itaque eo magis, quomodo mea sententia orta sit, perspicuum fiet, si etiam illarum mentionem fecero. Cum autem de difficili re agatur, non satis habeo priorum interpretum sententias enumerare, deinde meam adicere, sed etiam, *ubi* praecipue erraverint, breviter exponam.

Ac primum quidem reiciendum est, quod Kirchhoff discrepantias removere studuit, cum quartam aetatem seclusit. Heroes nisi ab ipso Hesiodo inseri non potuisse in capite primo ostendi. Neque vero his remotis fabulae progressus perspicuus est, immo multae difficultates relinquuntur. Sic fieri non posse quod temptavit ex ipsius Kirchhoffii experimento elucet. Discrepantiae propter multitudinem omnino non possunt removeri, immo penitus narrationi inhaerent. Itaque nostrum est eas intellegere et, unde ortae sint, explicare. Hoc modo reliqui viri docti egerunt, sed tam diversa tamque mira ex eis effecerunt, ut hoc omnino non pro certo enodari posse putes. Percenseamus eorum sententias secundum eas difficultates a quibus quisque maxime profectus est. Neque enim eodem modo omnes difficultates respexerunt, sed sententiae eorum plerumque ex una pendent. Quo factum est, ut saepe reliquis rebus repugnarent.

Plurimi interpretes profecti sunt a proprietate tertio loco prolata et inde originem et sensum fabulae explicare

conati sunt. Sic egerunt *Voelcker*[1], *Lang, Betke*[2] quibus etiam *Buttmann* et *Bamberger* adnumerandi sunt qui, etsi etiam discrepantias primo loco collectas cognoverunt, tamen ex illa maxime narrationem explicare studuerunt.

Ex illo, quod in narratione et status quodam modo veri et status cogitatione ficti describuntur, effici posse putaverunt haec elementa non a primo coniuncta esse, immo postea demum coisse, cum aut antiquior quaedam fabula aucta aut duae fabulae separatae coniunctae essent. Hoc effecit *Bamberger*[3] cui *Graf* assentitur[4], cum in narratione duas diversas fabulas statuit quae propter similitudinem quandam in unum corpus coactae essent. Illud contra visum est *Buttmanno*[5] qui tres priores aetates, *Voelckero*[6] qui duas ultimas antiquiores putavit, praeterea *Langio et Betkeio*[7] qui duas priores aetates pervetustam ex oriente profectam fabulam esse contenderunt cui Hesiodus, quomodo Graeci progressi essent, adiecisset. Etsi haec conclusio e vera quadam observatione pendet, tamen hanc rectam rationem non esse effectus ipse ostendit. Quid enim valet, si narrationem sic persecamus? Buttmanno, ut narrationi quam e tribus prioribus aetatibus constitisse putavit sensum supponeret, eam pluribus locis mutatam esse accipiendum erat, ut minime verisimilis sit eius sententia. Omitto Voelckeri sententiam plane perversam. Neque vero Bambergeri 'mytho philosophico' aut narrationi quam Lang et Betke antiquissimam putaverunt, probabilem sensum elicies. Ut omittam prima aetate maxime statum altera maxime mores describi, quid poeta his diversis imaginibus oppositis indicare voluit? Ipsi hoc demonstrare vix conati sunt. Satis habuerunt narrationem vel 'philosophicam' vel 'moralem' significare. Quomodo autem talis narratio tam vetustis temporibus fieri potuerit, non explicant.

Cognoscimus hac violenta ratione nos finem consequi non posse. Neque per se verisimile est duas narrationis

[1] Mythologie des iapetischen Geschlechts p. 250 sqq.
[2] l. a. p. 39 sqq., qui Langii sententiam repetit.
[3] l. a. p. 525 sqq. [4] l. a. p. 11 sq. [5] l. a. p. 5 sqq.
[6] l. a. p. 272 sqq. [7] l. a. p. 44.

partes tam laxe coniunctas esse, ut sine negotio separari possint.

Ab altero discrepantiarum genere quod etiam a Buttmanno et Bambergero cognitum esse indicavi Goettling-Flach[1] et Schoemann[2] profecti sunt, et ab eo maxime, quod quarta aetas subito melior est. Illi *tres* maiores aetates in narratione statuerunt quarum prima tria priora saecula comprehenderet, altera ab heroibus inciperet; tertiam e verbis ἢ ἔπειτα γενέσθαι (v. 175) eventuram concluserunt. Schoemann qui in quinto saeculo duo saecula repperit, *duas* aetates maiores discrevit quarum utraque e ternis saeculis constaret. Tribus saeculis ante heroes positis totidem alia opponi putat. In illis omnia humanam mensuram longe excedentia fingi et poetam suam quandam rationem philosophicam secutum esse, in his omnia ad eum modum comparata esse quam ipsi videamus aut transformata in melius aut in deterius. Qui autem sensus huius responsionis sit, non indicatur. Hae explicationes plane ad libidinem factae sunt, quia viri docti ex una re profecti magis suam sententiam narrationi intulerunt quam eam quae inest explicaverunt. Reliquas discrepantias non respexerunt. Improbantur autem illae sententiae maxime nominibus a metallis sumptis.

Discrepantias altero loco propositas Lehrsii sagacitas cognovit. Qui ipse quoque reliquas res non respexit et observationibus per se optimis tam violenter usus est, ut narrationis sensum obstrueret. Cum singularum aetatum descriptiones aliis semper poetis vindicavit, narrationem in quinque fragmenta discerpsit. Cum autem haec ratio probari non posset, etiam rectae illae observationes improbatae sunt et Schoemann et alii illas Lehrsii offensiones argumentis quamvis futtilibus ita refutaverunt, ut ex illo tempore plane evanescerent.

Maxime ea nobis sententia respicienda est quae recentissima in lucem prodiit, dico eam quam Ed. Meyer exposuit. Qui de narratione universa hanc sententiam profert[3].

---

[1] ad v. 109. [2] l. a. p. 315.

[3] Conferas imprimis quae l. c. p. 175, 179, 187 profert.

Discernit in narratione duas partes quarum prima auream et argenteam aetatem continente Hesiodus fictos status depingat. Aureo saeculo perfectum vitae humanae statum eum depingere contendit quem hominibus salutarem non esse neque permanere posse argentea aetate ostendat. Aenea aetate poetam quasi denuo incipere et, cum prioribus fictum statum depinxerit, sequentibus iam verum hominum progressum, re factum, describere[1]. Tertium et quintum saeculum primo et alteri respondere putat, nam ferreo saeculo eodem modo atque argenteo antecedentis status depravationem significari, quamquam altera fabulae parte, quomodo homines a rudi robore ad altum cultum pervenerint – hoc e transitu ab aere ad ferrum concludit — ostendatur. Ex eo autem poetae sententia hanc depravationem exstitisse, quod homines hoc cultu abusi essent. Hoc autem poeta narratione docere ei videtur: ne cupiveris (Persa) aureae aetatis statum. Nihil te adiuvaret, immo corpus et animum debilitaret. Qua autem via procedis ad exitium venies. Haec una salus tibi relinquitur: agnosce leges Pudoris et Justitiae et labora.

Haec explicatio, etsi et proprietatem tertio loco prolatam et mirum sententiarum progressum quem altero loco exposui respicit, tamen multis de causis veri mihi videtur dissimillima. Discrepat ab ea continua metallorum series, obstat ei quod altera aetas ab argento nominatur. Gravissimum autem est, quod Meyer multa narrationi intulit quae nullo modo nec aperte nec tecte indicantur. In primis non est tenendum, quod duas aetates priores a ceteris seiungit et fictos status eis describi contendit. Haec sententia nulla re fulcitur. In omnium aetatum — excepta ferrea — initiis diserte dicitur ποίησαν vel ποίησε cui in prima aetate additur πρώτιστα. Quodsi poeta duabus prioribus aetatibus fictos status describere voluit et ostendere vitam desideratam hominibus salutarem non esse, sed ad

[1] Hoc ex eo effecisse videtur quod huius aetatis homines ἐκ μελιᾶν facti esse dicuntur quod Grafium (l. a. p. 12) secutus recte ad primos homines rettulit.

interitum ferre — quod iudicium Hesiodum habuisse veri est dissimillimum —, hoc aliquo modo indicare debuit. Ita ut narratio legitur, nisi de duobus gradibus quos poeta primos humani generis status putavit, auream et argenteam aetatem intellegere non possumus. Accedit quod argenteae aetatis explicationi et nomen obstat et verba πολὺ χειρότερον (v. 122) quibus eam non plane malam esse apparet. Neque a tertia aetate novam seriem incipere possumus, cum poeta eam cum antecedente coniunxerit verbis τρίτον ἄλλο γένος (v. 143) quibus alteram aetatem tertia excipi manifestum fit. Praeterea Meyeri sententia refutatur eo quod aurei et argentei saeculi homines post mortem daemones fiunt quod item sensum non exhibet, nisi illi homines poetae sententia aliquando vixerunt. Quomodo homines quos vixisse tantum *finxit*, daemones faceret? Itaque Meyeri sententia quae dicta sunt a poeta pro non dictis, non dicta pro dictis accipere cogimur. Solo illo ἐκ μελιᾶν fulciri videtur. Quid hoc in tertia aetate sibi velit, infra videbimus.

Ex antecedentibus hoc certe cognoscimus *narratione unum et continuum ordinem contineri,* quamvis mirificus sit. Iam, quomodo ortus sit, quaeramus.

3.

Huic quaestioni propono hoc: discrepantiae omnes eodem modo respiciendae sunt: ex una re caute concludendum est et videndum consentiantne ceterae. Quod si nobis ante oculos posuerimus, discrepantiarum originem quasi ultro sese oblaturum esse spero. Neque multae explicationis viae supersunt.

Ex discrepantiarum summa sequitur narrationis formam traditam non ex unius et eiusdem poetae ingenio profluxisse. Quod etsi nonnulli priorum interpretum senserunt, tamen nemo tam accurate expressit quam Vollbehr[1]. Itaque verba eius transscribam. 'Atque equidem non possum facere, quin informatione peculiari huius narrationis diligenter considerata profitear neminem fore poetam qui unice artis suae

[1] l. a. p. 36.

leges libidinemque ingenii secutus imaginem nobis efferat aetatum quae neque rerum aequabili cursu procedant neque ab eadem inscribendi ratione insigniantur, ut omnino poeta se rebus, non sibi res subiecisse videatur.' In hac autem cognitione constitit neque longius inquisivit. Paulo post cognitio ipsa amissa esse videtur, praecipue si Goettlingii et Schoemanni sententias legimus. Etiam Ed. Meyer aureae tantum aetatis imaginem ante Hesiodum fuisse putat, reliquam narrationem totam ab eo confectam esse contendit.

Sed quomodo re vera iam narrationis discrepantiae ortae sunt? Quas primo et altero loco composui consilium aliquod mutatum et auctum esse docent quod reliquis proprietatibus confirmatur. *Facta est igitur narrationis forma* non duabus propriis fabulis coniunctis, non ad narrationem quandam aliis rebus adiectis sed *antiquiore quadam narratione retractata.* Nisi hoc modo discrepantiarum neque multitudo neque natura intellegitur. Habemus manifesto in narratione duas sententias secum pugnantes. Quod eo tantum exsistere potuit, quod poeta quidam qui de hominum progressu aliter sensit narrationi suam sententiam imprimere studuit. Quod ei non plane contigit, immo antiquior sensus interlucet. Hic autem est is qui metallorum ordine indicatur, nam necesse est narrationem genuinam certum sensum habuisse. Etiam per se verisimilius est metallorum seriem genuinae narrationis formae respondisse postea mutatae, quam ad narrationem retractatam inepta nomina addita esse. Certe *Hesiodus* narrationem retractavit cuius ingenium e ferreae aetatis descriptione elucere commentationis exordio commemoravi. Retractatione accuratius perspecta hoc confirmabitur. Ad hoc iam nobis est accedendum, quia tum demum quod effecimus pro certo probabitur, si ostenderimus, quid ab Hesiodo receptum, quid ab ipso additum vel mutatum sit. Itaque ad id pervenimus quod capitis initio enodandum proposui. Sic discrepantiae quas statuimus huius quaestionis quasi fundamentum sunt. Simul ipsae perspicuae fient et eo magis Hesiodi sententiam intellegemus.

4.

Quaeramus igitur, quid postea adiectum sit. Cum discrepantiae penitus inhaereant, a primo verisimile est non tantum aetatum numerum auctum esse. sed etiam antiquiores quodam modo amplificatas vel etiam diminutas esse. Sequitur igitur aetates quae quodam modo a primo consilio deflectunt et retractationis vestigia habent *non totas* omnino retractationi adnumerandas esse. Hoc respiciendum est. Iam diversa narrationis elementa dissolvamus.

Aureae aetatis descriptio optime decurrit neque ullam offendendi causam praebet[1]. Huius aetatis imaginem ante Hesiodum exstitisse etiam Ed. Meyer concedit qui reliqua Hesiodea putat. Et re vera haec opinio antiquissima videtur neque minus imaginis color.

Sed statim argenteae aetatis progressus praeter exspectationem cadit. Supra offensiones notavi, nunc, quid ex eis efficiendum sit, videamus. Aurea aetate perfectus status describitur. sed vitae externae. Exspectamus igitur sequentibus ostendi, quomodo hic status depravatus sit. Consideremus iam argenteae aetatis descriptionem. Ita instituta est, ut vitae horum hominum progressus proponatur. Incipit poeta ab infantia. Hic vere externus status describitur. Sed, ubi poeta eos adultos dixit, hoc non persequitur, immo ad morum descriptionem satis verbosam transit ex qua etiam pendent quae de eorum interitu dicit. In his versibus vitam externam solis verbis *ἄλγε᾽ ἔχοντες* (v. 133) respicit e quibus concludi potest verba illa versus 113, *νόσφιν — ὀϊζύος*, in argentea aetate non iam viguisse. Quomodo res se habet cum horum hominum senectute et morte? Sane ex eo quod de infantia dicitur colligere licet etiam adultos eos legibus subiectos fuisse secundum quas vita humana procedit neque illud *αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι* (v. 114) viguisse. Tamen mirum est. quod poeta progressum ita nos conicere sinit, postquam tam fuse a prima infantia incohavit. Lehrs recte desideravit. ut loco versuum quibus de moribus agitur poeta potius de

[1] Praeter unam de qua capite exeunte disputabo.

agricultura diceret et indicaret, utrum status versu 117 descriptus mansisset, an necessitas agri colendi exstitisset. Quibus rebus cognitis nemo certe negabit externae vitae descriptionem abrumpi, ut eius loco nova res introduci possit quae poetae maxime cordi fuisse videtur. Certe primum consilium augeri et novam rem introduci, etsi ex antecedentibus non exspectatur, ne ego quidem improbo. Saepe poeta aliquid addit quod ad rem minus pertinet. Sed hic statim initio nova res una cum altera indicatur et ita, ut pares sint

χρυσέῳ οὔτε φυὴν ἐναλίγκιον οὔτε νόημα (v. 129).

Gravissimum autem est quod prima res non perficitur, sed subito deseritur. Nova re igitur introducta prima detrimentum capit. Hoc eo defendi non potest, quod Hesiodus in versu 106 rationem suam narrandi verbo *ἐκκορυφοῦν* significat.

Lehrs eo, quod nova res introducitur et fuse tractatur alium auctorem cognovit et suo iure, etsi modum excessit. Fieri non potuit, ut idem poeta narrationem hoc modo produceret et ad auream aetatem talem argenteae aetatis descriptionem adiceret. Obstat etiam ille versus 129 quem transscripsi. Sic pergere non potest qui in aurea aetate nihil de *νοήμασι* dixit. Quod Lehrsio quidam opposuerunt, summam rem non tangit. Hoc tantum annotaverunt in aurea aetate aliquid de moribus dicere supervacaneum vel ineptum fuisse. Sed hoc argumento nihil explicatur, nisi cur is qui argenteam aetatem confecit ad auream aetatem aliquid de moribus *adicere* omiserit vel omittere potuerit, nam ipsi auream aetatem etiam moribus perfectam fuisse ipsius versus 129 sententia ostenditur. Si autem *ipse* huius aetatis descriptionem confecit, cur hanc sententiam non expresserit non intellegitur. Quae cum ita sint dubitari non potest, quin argenteae aetatis descriptio quam legimus ab alio poeta confecta sit atque aureae aetatis descriptio. Sed certe Lehrs modum excessit, cum ipsam aetatem alii poetae tribuit et ab aurea plane disiunxit. Versus quibus de infantia agitur et verba *ἄλγε᾽ ἔχοντες* ad auream aetatem spectare statuimus. Accedit, quod et in versu 110 et in v. 128 dicitur *ποίησαν Ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες*. Coniunctio

igitur non plane deest. Praecipue ex eo quod in *ipsa* aetate externae vitae descriptione abrupta subito ad fusam de moribus disputationem transitur Hesiodum argenteae aetatis descriptionem quandam accepisse elucet et aetatem ipsam ante eum exstitisse. In illa externae vitae descriptio nunc post initium abrupta totam vitam humanam amplectebatur. Hesiodus eam amputavit[1], ut res quae eius intererant exponeret. Hesiodi igitur est tota de moribus disputatio. Haec ab antiqua argenteae aetatis descriptione non minus aliena erat quam ab aurea aetate. Haec autem est quae maxime nomini repugnat. Videmus igitur metalli sensum obscuratum esse, quod descriptio aetatis mutata est. Putandum est nomen et descriptionem primo consensisse.

Venimus ad aeneam aetatem. Repetam gravissima quae supra statuimus. Haec aetas nullo modo ad antecedentes respicit. Neque vitae externae neque morum depravatio producitur. Nomen aetati ipsi optime accommodatum, si antecedentem respicimus, offensioni est, quia nullo modo, cur haec melior sit, intellegitur. Ad quae alia accedunt. Nomen non magis aptum est, si ferream aetatem spectamus. Haec certe deterrima est. Neque vero ferrum aere vilius est, immo putandum est ferrum illo tempore multo plus valuisse, quoniam per maiorem duritiem ad agriculturam utilius est[2]. Itaque aeneae aetatis nomine metallorum series quam supra constanter descendentem significavi quodam modo interrumpitur. Neque omittendum est, quod versibus 150—151 propria nominandi ratio adhibetur. Accedit, quod neque verba *οὐδέ τι σῖτον ἤσθιον* (v. 146—147) quae ad imaginem ipsam optime accommodata esse vidimus, in narrationis progressu non intelleguntur. Num haec ad aurei saeculi vitam referenda sunt? Praeterea aenea aetas etiam alia re in narrationis progressu offensioni est. Verba *ποίησε . . . ἐκ μελιᾶν* (v. 145) quae ab Ed. Meyero recte explicata sunt, de primis humani generis initiis hic

---

[1] Inde fortasse versuum 130 sqq. vitia orta sunt quae notantur apud Goettl.-Flach.

[2] Cum poetam ferrum pluris esse conscium fuisse ex ipsis versibus 150—151 colligere liceat, haec offensio alicuius momenti est.

agi ostendunt ad quod etiam descriptio ipsa optime quadrat. Quomodo hoc intellegendum est, cum duo saecula antecesserint? Hac praecipue de causa Meyer duas priores aetates a ceteris seiunxit et verum hominum progressum inde ab hoc demum saeculo incipere contendit. Cum hoc fieri non posse supra ostenderim, etiam haec offensio interim manet et ad reliquas accedit. His omnibus rebus hoc saeculum e narratione excidit. Priusquam autem iudicium facimus necesse est hoc respiciamus quod, cum argenteae aetatis descriptio ipsa offensionem praebuerit propter vitae externae descriptionem amputatam, haec ex omni parte optima est. In mentem velim revoces imprimis ea quae de versibus 146—147 supra exposui.

Habemus descriptionem certis coloribus depictam quae e poetae ratione praediti ingenio profluxisse videtur. Etiam nomen ei optime adaptatum est. Sed haec aetas una cum nomine in narrationis progressu multis de causis offensioni est. Ergo non temere mihi videor contendere hanc aetatem ab antiqua narratione plane alienam et ab Hesiodo insertam esse. Hoc eo confirmatur, quod versus 148—149 quibus hominum illorum magnitudo et vis significatur artificiose e duobus Theogoniae versibus coniunctos esse cognovimus.

Quartam aetatem ab antiquissima narratione alienissimam esse nemo certe negabit. Qui enim interpretes Hesiodo aliquam narrationis partem tribuunt, hanc ab eo adiectam esse consentiunt.

Postremo in ferreo saeculo fusam quae de tempore futuro depingitur imaginem a verbis *οὐδέ ποτ᾽ ἦμαρ* (v. 176) incipientem quae ex eadem animi permotione profluxisse videtur quae sequente Operum parte indicatur Hesiodo adiudicabimus. Sed Langium et Betkeium modum excessisse puto, cum ferreum saeculum ipsum ab Hesiodo demum adiectum esse contenderunt [1]. Verbis quibus incipitur

νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον (176)

praesens tempus iam ante Hesiodum ferreum nominatum esse demonstratur. Poeta dicit de hac re ut de nota. Esse

[1] l. a. p. 44 sq.

autem ferreum saeculum narrationis antiquioris partem necessariam infra videbimus.

Quod adhuc effecimus hoc est: ab Hesiodo adiecta est aetas tertia et quarta. Antiquiore igitur narratione continebatur aurea argentea ferrea aetas. Itaque illa quoque progressus quidam propositus erat. Narrationem ab Hesiodo susceptam hanc formam habuisse etiam per se verisimile est. Transitus enim a perfecto ad praesentem statum qui in narratione Hesiodea tribus aetatibus diversissimis efficitur indicare videtur antea transitum fuisse quo prima et ultima aetas artius coniunctae erant. Haec quoque deliberatio narrationem ab Hesiodo susceptam trimembrem fuisse demonstrat. Hoc Rothio[1] et Meyero[2] oppono qui mirificum ab aurea ad ferram aetatem transitum totum ab uno eodemque poeta confectum esse putant. Hesiodum narrationem quandam suscepisse etiam illo *ἐκκορυφοῦν* comprobatur. Videtur autem poeta hoc verbo, quomodo illa usus sit, significare. Vidimus eum in argentea aetate ea tantum suscepisse quae cum consilio eius coierunt, reliqua neglexisse. Si talem narrationem exemplum Hesiodeae ponimus, etiam nomina optime perspiciuntur.

Postremo etiam aliud argumentum proferri potest quod adhuc consulto retinui. Etiam Babrii prooemium antiquissimum quod paucis annis ante in lucem prodiit has tres tantum habet aetates[3]. P. Friedlaender hic formam fabulae quae ante Hesiodum fuit servatam esse contendit, cum etiam antecedentis de dolio aperto fabulae antiquior forma apud Babrium exstaret[4]. Recte Friedlaenderum coniecisse quaestio antecedens docet. Quibus autem argumentis ipse sententiam suam comprobaverit e brevi illa relatione accuratius perspici non potest. Imprimis eius de tertia aetate iudicium non satis constat. Indicatur tantum hoc: „aber auch das dritte (Geschlecht) weist über diese (die ursprüngliche Konzeption) hinaus, da ersichtlich die Vorstellung von dem

[1] l. a. p. 10. [2] l. a. p. 174.

[3] Papyrus Bouriant apud Croenertum 'Kolotes und Menedemos' p. 160.

[4] Zeitschrift für das Gymnasialwesen 1912, p. 804.

Bronzezeitalter, das unserer Eisenzeit vorhergeht (150—151), hier maßgebend ist". Hoc nequaquam gravissimum argumentum est quo aeneum saeculum postea insertum demonstretur. Postquam autem accurata quaestione narrationem antehesiodeam trimembrem fuisse statuimus, quin illa quamvis adumbrata apud Babrium servetur, non dubito. Hoc consensu fit, ut altera res altera fulciatur.

Iam ad retractationem redeamus. Videmus non tam simpliciter rem se habere quam antea viri docti putaverunt velut Steitz, Rohde, Peppmueller qui heroes tantum ab Hesiodo adiectos, ceterum narrationem genuinam esse censuerunt. Etiam Kirchhoffium in his tantum offendisse vidimus. Re vera narratio antiquior valde retractata est. Neque enim solum novae aetates insertae sunt, sed etiam receptas partes et mutatas et auctas esse cognovimus. Ex argenteae aetatis antiqua descriptione pauca tantum supersunt et quintae aetatis argumentum excepto nomine totum Hesiodeum est. Ne aurea quidem aetas a retractatione plane intacta est. Sed hic agitur de additamento quod imaginem ipsam non tangit. Itaque hanc rem hucusque retinui, praesertim cum post antecedentia eo melius intellegi possit.

Disseram autem de versu 111. In quo nonnulli viri docti offenderunt. Goettling eum removit cum dixit nusquam Saturnum in diis Olympicis haberi. Haec offensio saepe eo refutata est, quod poeta verbis *Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες* (v. 110) Saturnum *antea* in Olympo regnavisse significare voluisset [1]. Certe, nisi hoc modo verba intellegimus, versus 111 sensu plane caret. Haec interpretatio etiam confirmatur opposito *Ζεὺς δὲ* in versu 143 quo versum removere vetamur. Sed hunc sensum his versibus apte reddi nemo certe contendet. Versus 111 praeter exspectationem cadit, quoniam verbis *Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες* semper Iuppiter et qui circa eum sunt significantur. Itaque Goettling suo iure offendit et argumentum eius, quamvis sensui versus non respondeat, tamen non est vituperandum, quia versus 110—111 ipsi sensum quem poeta indicare voluit non red-

[1] Vide Goettling-Flach ad v. 111.

dunt, immo ex alio loco colligendum est verbis Ὀλ. δ. ἔ. *priores* Olympi incolas significari et ἔχοντες participium temporis praeteriti intellegendum esse. Etiam post Goettlingium erant, qui difficultatem sentirent, velut Steitz qui dixit: „Dem Subjektsnominativ *οἳ μὲν* müßte ein anderes Subjekt entgegengesetzt sein, nicht ein weiteres Prädikat zu demselben Subjekt, *ὡς τε θεοὶ δ' ἔζωον* (v. 112), das sich darauf nicht beziehen kann.“ [1]

Etiam Ed. Meyer hoc certo consilio ab Hesiodo indicatum esse putat [2]. Sed nimis quaesita est eius explicatio et simul multa ex silentio colligit. Reperit hic 'einen Konflikt zwischen Geschichtsüberlieferung und religiöser Empfindung', quod mihi valde ex libidine sumpsisse videtur. Sed certe cognovit versum 110 per se ad Saturnum et Titanes referri non posse.

Perspicua autem fit difficultas, si fabulam retractatam esse meminimus. Versus 111 re vera postea in hunc conexum insertus est. *Hesiodus eum adiecit.* Et statim, cur hoc fecerit, elucet. Cum narrationem duabus aetatibus insertis auxisset longum ordinem inter Saturni et Jovis dominationem dis pertiri ei in mentem venit [3]. Itaque duas priores aetates Saturno rege vixisse indicavit, cum versui 110 versu 111 inserto alium sensum dedit. In antiquiore narratione verba Ὀλ. δ. ἔ. quae in alterius aetatis initio repetuntur certe ad Iovem et deos Olympicos spectabant [4].

Sed nonne e versuum 110—111 coniunctione de prisca narratione etiam plus colligere possumus? Videmus versum 111 ita ad antecedentem adaptatum esse, ut in descriptionem *perfectam* insertus videatur. Hoc eo non plane intellegitur

---

[1] l. a. p. 67.

[2] l. a. p. 170 A 1. Accuratius legentem non fugiet Meyerum hic secum pugnare.

[3] Hac in re poeta Theogoniam respexisse videtur.

[4] Sequitur Meyerum longius progressum esse, cum propter Saturni mentionem aureae aetatis imaginem ab Hesiodo ex Attica mutuatam esse et *τὰ Κρόνια* describere statuit (l. a. p. 174). Sed fieri potest, ut illo usu sollemni cognito poeta adductus sit, ut auream aetatem Saturno rege fuisse indicaret.

quod Hesiodus hanc descriptionem quae optime decurrit suscepit sed efficiendum est eum hic *versum e versu transcripsisse*, id est, *antiquiorem narrationem iam versibus confectam fuisse* et a poeta aliquo formatam.

Hactenus partes Hesiodeas a partibus antiquioribus discerni posse puto. Quatenus praeterea Hesiodus antiquissimae narrationis versus aut removerit aut mutaverit aut novos versus de suo adiecerit, enodari non potest. Neque hoc magni momenti est. De duobus autem locis, utrum ex antiquissima narratione recepti an ab Hesiodo adiecti sint, diiudicari non posse valde doleo, dico versus quibus, quid aureae et argenteae aetatis hominibus post mortem contigerit, indicatur. Agitur enim de re ad cognoscendam illorum temporum religionem gravissima quam certius perspicere viri docti iam dudum studuerunt. Etsi autem quaestionem perficere non possum, tamen, quae res maxime respiciendae mihi videantur, indicem.

Certe versus 121—126 ad aureae aetatis descriptionem accedere non est necesse. Una cum iucundissimi status imagine etiam hunc exitum ortum esse ne verisimile quidem est. Quod hac deliberatione vel improbatur. Respiciendum esse censeo, quod, etsi Hesiodi temporibus qui fuerunt illius aetatis homines olim vixisse crediderunt (alioquin enim versus de daemonibus intellegi non possunt), tamen re vera numquam vixerunt, quia haec opinio ex cogitatione et inventione profluxit. Sed quales vires post mortem nacti esse dicuntur, tales animis *mortuorum* tantum tribui possunt. Quomodo de hominibus qui neque vixerunt neque ideo mortui sunt, talis opinio exsistere potuit? Huius rei ne Rohde quidem plane rationem habuit, cum dicit: „diese hesiodischen Dämonen sind einst Menschen gewesen . . .“ (p. 96): infra: „Es sind . . . die Seelen längst dahingeschiedener Geschlechter der Menschen, von denen dies geglaubt wird: schon lange also wird der Glaube an deren göttliches Weiterleben bestehen . . .“ (p. 99), quae exempla cumulari possunt. Iudicandum autem est opinionem de daemonibus ab aurea aetate primo alienam fuisse et eas consilio et arte coniunctas esse. Certe daemones ipsi quo tempore hoc factum est vigebant,

non enim tale quid de nihilo inveniri potuit[1]. Sed non animae mortuorum erant, praecipue non hominum aureae aetatis, immo propter similitudinem quandam a viro quodam ratiocinante ad huius aetatis homines applicati sunt. Non recte igitur Rohde antiquam de animarum immortalitate opinionem hic statuit. Sed, nisi talis opinio erat, haec coniunctio fieri non potuit, ut tamen Rohde his versibus ea quae e carminibus Homericis de illa opinione collegerat comprobari non inepte contenderet. Non autem una cum aurea aetate sententiam de illorum hominum immortalitate exstitisse etiam eo confirmatur, quod aureae et argenteae aetatis daemones alteri alteros respicere videntur, ut etiam aureae aetatis daemones tum demum adiectos esse statuendum sit, cum iam narratio trimembris exstitit. Itaque coniunctionis auctor aut is fuit qui hanc narrationem confecit, aut ipse Hesiodus. Per se versus de quibus agitur ab hoc adiectos esse putem, quippe qui saepius, ut homines meliores redderet, praemia et poenas deorum proposuerit, etiam in hac narratione. Sed ab hac re valde abhorret argenteae aetatis descriptio. Vidimus versus quibus de moribus illorum hominum agitur ab Hesiodo adiectos esse. Ab his ipsis autem versibus quibus aetatem depravari vidimus versus 140—142 valde abhorrent. Primum enim hi daemones *μάκαρες* nominantur quo verbo alioquin dei significantur, deinde, etsi *δεύτεροι* vocantur quo ordo inferior indicatur, tamen venerationem habent et verbis *τιμὴ — ὀπηδεῖ* aureae aetatis daemonibus quodam modo adaequantur. Hoc Hesiodum fugisse vix credibile est. Iudicandum est versus 140—142 melius ad antiquiorem huius aetatis formam adaptatos esse quam rectius ab argento nominatam fuisse statuimus. Hoc fortasse eo confirmatur quod verba *Ζεὺς . . . ἔκρυψε χολούμενος* (138) non bene coeunt cum verbis *κατὰ γαῖ᾽ ἐκάλυψε* (140). Quod tamen etiam eo factum esse potest quod versu 140 consulto verba versus 121 repetuntur, ut hi daemones cum illis comparentur. Hoc autem nemo certe negabit daemones

[1] Vide Rohde l. a. p. 98. Idem de argenteae aetatis daemonibus statuendum est quod de his Meyer negavit.

hominibus e quibus fiunt similes esse debere. Ex argenteae aetatis hominibus improbis mali tantum et hominibus adversi daemones fieri potuerunt. Sed tales non habent venerationem. Ergo argenteae aetatis daemones a descriptione Hesiodea abhorrent. Hac re adducor, ut versus quibus de daemonibus agitur ante Hesiodum ortos et ab eo e narratione trimembri receptos esse credam.

Postquam iam, quatenus fieri potuit, narrationis partes antiquiores ab eis quae Hesiodo debentur disiunximus, quae effecimus breviter comprehendam. Erat iam ante Hesiodum narratio qua tribus gradibus, quomodo a perfecto ad praesentem statum hominum vita degeneravisset, expositum erat. Hanc narrationem Hesiodus in suum usum convertit, cum et mutavit eam et auxit. Maxime autem memorabile est, quod versibus confecta fuisse videtur. Sic antiquissimum poema recuperavimus. Hoc dignum est quod etiam ipsum accuratius consideretur. Narrationis igitur antiquissimae postquam et ambitum et formam cognovimus, iam de eius origine, argumento, sensu disseramus. Ut simul quae effecimus confirmentur, narrationem inde ab origine exstruamus.

Cap. III.

Aurea aetate perfectus vitae humanae status describitur sicut temporis cuiusdam homines cogitatione eum sibi depinxerunt [1]. Eiusmodi de vitae fortuna florente opiniones quodam modo omnibus hominibus, ex quo homines facti sunt, communes sunt: unusquisque in vita quaedam et desiderat quae ei denegantur et reprehendit quae tamen ferenda sunt. Hic inveniendi occasio data est. Fingit imaginem et omnibus rebus praeditam quas desiderat et liberam ab omnibus rebus quas moleste fert. Desideria sunt quibus eiusmodi imagines procreantur, maxime ea quae ad effectum adduci non possunt. Proficiscuntur autem a vitae humanae

[1] Ad expositionem sequentem conferas ea quae Rohde l. a. p. 90 sqq. protulit. — De eis quae L. Laistner. Das Rätsel der Sphinx II, 342 sqq. exposuit disputare supersedeo.

condicione vitiosa[1]. Cum autem haec condicio apud unumquemque populum alia sit, etiam imagines diversas evenire necesse est. Pendet igitur imago e terrae condicionibus, e cultu, multis aliis rebus. Hoc perspiciemus, cum aureae aetatis imaginem cum eis comparabimus quae in carminibus Homericis occurrunt.

Utcumque autem talis imago describitur, semper hic status, etsi cogitatione inventus est, tamen re exstitisse putatur. Omnia enim quae simplex priscorum hominum inventio procreat, ipsis a primo vera sunt[2]. Haec est cogitatio illa quam W. Wundt in libro qui inscribitur Voelkerpsychologie 'mythologisches Denken' vocavit. Sequitur, ut hic status ab hominibus viventibus aliquo modo separetur. Hoc fit ita, ut aut temporis aut spatii intervallum intercedat. Itaque eum aut tempore praeterito aut in finibus terrae, loco quem homines assequi non possint, vigere putant. Saepissime illud occurrit. Hoc apud Homerum habemus, et in Elysii opinione et in Phaeacibus et in insulae Syriae descriptione, quod non casu accidisse sed proprio illorum poetarum ingenio factum esse infra videbimus.

Quod perfectus status maxime temporis spatio secluditur, explicatur proprietate qua homines praeterita augent et praesentibus rebus praeferunt. Quod inde nascitur quod hominibus labores praeteriti minus graves videntur, quippe qui tempore mitigentur. Huc pertinet, quod unicuique homini infantia beatissimum vitae tempus videtur[3].

Hoc autem non neglegendum est tempore quo opinio orta est hunc statum pro vero habitum fuisse. Non enim fabulandi tantum libidine opinio orta est, praesertim cum a vitae difficultatibus eam profectam esse viderimus. Demum tempore progresso, praecipue cum prima condicio mutata esset et verus rerum progressus melius cognosceretur, opi-

[1] Cf. Max W u n d t, Geschichte der griechischen Ethik I p. 357.

[2] Conferas quae illi priscorum temporum homines de rerum natura opinantur.

[3] Ad hoc respicias quod versibus Od. XV 403 sqq. poeta Eumaeum *patriae* statum florentissimum describentem facit. Habes propriae illius naturae humanae vim atque effectum.

nionis vis deminuta et ipsa merae fabulae loco habita est. Etiam aliud annotem. Hae opiniones, quamquam inde profectae sunt, quod homines raro sorte sua contenti sunt, tamen minime morosas mentis affectiones indicant, etsi temporum angustias et iniquas vitae condiciones ad imaginis colorem magni momenti esse posse concedendum est.

Postquam harum opinionum nascendi condiciones et proprietatem generatim exposuimus, iam auream aetatem spectemus.

Aureae aetatis status in universum describitur verbis

ὥς τε θεοὶ δ' ἔζωον (112)
κακῶν ἔκτοσθεν ἁπάντων (115)
ἐσθλὰ δὲ πάντα | τοῖσιν ἔην (116—117).

Quod ad singula attinet, indicantur partim bona quae vera vita non eodem modo praebet

αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὁμοῖοι 114
τέρποντ' ἐν θαλίῃσι 115
θνῆσκον δ' ὥς θ' ὕπνῳ δεδμημένοι 116
καρπὸν δ' ἔφερεν ζείδωρος ἄρουρα 117
αὐτομάτη πολλόν τε καὶ ἄφθονον[1] *οἳ δ' ἐθελημοὶ* 118
ἥσυχοι ἔργ' ἐνέμοντο σὺν ἐσθλοῖσιν πολέεσσιν 119[2]

partim res quas homines aegre ferunt defuisse dicuntur

(ἔζωον) ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες 112
νόσφιν ἄτερ νούσων[3] *καὶ οἰζύος· οὐδέ τι δειλὸν* 113
γῆρας ἐπῆν[4]. 114

---

[1] Cum imago a verae vitae condicione profecta sit, non dubito, quin *καρπός* etiam de agri fructibus intellegendum sit, etsi verbis hoc ipsum non necessario significari ex Il III 246 elucet. Haec sententia fulcitur verbo *αὐτομάτη*.

[2] De hoc versu virorum doctorum sententiae valde discrepant. Fuss (l. a. p. 37) interpretatur 'bereitwillig vollbrachten sie ihre Werke, reich war der Lohn'. In adn. 4 adit: „Also auch die Menschen des goldenen Geschlechtes arbeiteten." Cui J. Sitzler obloquitur (Wochenschrift für klassische Philologie 1912, Nr. 41). Secundum v. 115 eos laborare supervacaneum esse; versus significare 'sie bewohnten die Gefilde mit ihren vielen Gütern'. Mihi neutra explicatio constat.

[3] ut conieci.

[4] Meyer Hesiodum iam senectute affectum hoc scripsisse contendit. Hoc ideo non potest probari, quia haec res ut tota imago

Sic perfectae vitae imago in utramque partem describitur. Apparet, quod initio generatim statui, imaginem a vera vita profectam esse. Res quae enumerantur aut molestarum rerum loco proferuntur aut iucundas res augent.

Quo magis opinionem quae aureae aetatis imagine indicatur intellegamus, haud inutile mihi videtur imagines quae in carminibus Homericis de vitae statu florentissimo inveniuntur comparare. Sunt autem tres: Elysium (Od. IV 560 sqq.)[1], Phaeaces (Od. VI—VIII passim), insula Syria (Od. XV 403 sqq.). Elysium omittere possumus, quia vita ipsa generatim tantum verbis *ῥηίστη βιοτή* describitur. Consideremus igitur Phaeacum statum. Imago nonnullis in rebus cum aurea aetate consentit[2]. Etiam hic occurrit desiderium quo homines laete vita frui cupiunt. *Ἄνδρες οἰνοποτῆρες* Phaeaces vocantur (Od. VIII 456) et Alcinous vitam eorum describit verbis

αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε (VIII 248)

quibus conferas versus XIII 8—9.

ὅσσοι ἐνὶ μεγάροισι γερούσιον αἴθοπα οἶνον
αἰεὶ πίνετ' ἐμοῖσιν, ἀκουάζεσθε δ' ἀοιδοῦ.

Versu VI 309 Alcinous vinum bibens cum deo comparatur

τῷ ὅγε οἰνοποτάζει ἐφήμενος ἀθάνατος ὥς,

quem cum Op. versu 112 conferas.

Etiam Phaeacibus natura largitur, in horto quidem Alcinoi (VII 114 sqq.). Sed hac imagine praeterea propriae quaedam res continentur. Pertinent autem ad navigationem. Animum intendas velim ad locos VII 30 et VIII 556—563. Quibus praecipua mercatorum Ionicorum desideria exponuntur[3].

---

multo antiquior est. Sed recta observatio hac conclusione indicatur. Certe enim senum sententiam hic habemus et senes hanc rem ad imaginem attulerunt.

[1] Hic iucundissima vita in propriam quandam opinionem translata est.

[2] Tamen, quin imagines separatae exstiterint, dubitari non licet.

[3] Rohde (l. a. p. 83) dicit: „So gleicht auch Land und Leben der Phaeaken dem Idealbilde einer ionischen Neugründung.“ Sed in hac re ab eo dissentio quod *poetae* desideria hic indicari censet. His imaginibus — excepto Elysio — populares opiniones contineri mihi videntur.

Quae poeta Eumaeum de patria insula Syria dicentem facit aureae aetatis descriptioni magis etiam respondent. Op. versui 117—118 respondent Od. XV 405—406

οὔτι περιπληθὴς λίην τόσον ἀλλ' ἀγαθὴ μέν,
εὔβοτος, εὔμηλος, οἰνοπληθὴς πολύπυρος[1].

Cum Op. versu 113, ut eum restitui, conferas versus 407—408

οὐδέ τις ἄλλη
νοῦσος ἐπὶ στυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Versui 116 respondent versus 409—411

ἀλλ' ὅτε γηράσκωσι πόλιν κάτα φῦλ' ἀνθρώπων
ἐλθὼν ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξὺν
οἷς ἀγανοῖς βελέεσσι ἐποιχόμενος κατέπεφνεν[2].

Hae duae imagines quae apud Homerum occurrunt peculiariter inter se differunt. Diversorum hominum ordinum desideria eis indicantur. Phaeacum vitae descriptio splendida quae etiam navigationis rationem habet mercatorum nobilium et divitum desideria reddit. Simplicior est insulae Syriae imago. Hic poetam desideriis et opinionibus eius hominum generis usum esse puto cuius Eumaeus subulcus ipse fuit, imprimis agricolarum. Apud idem hominum genus auream aetatem simillimam viguisse puto. Cognoscimus igitur, quod supra indicavi, imaginem quae cogitatione fingitur secundum vitae condiciones, studia, alias res diversam fieri. Hoc etiam alia re confirmatur quae inter auream aetatem et *utramque* imaginem Homericam intercedit. Desideria quae apud Homerum indicantur nullo modo tam longe procedunt quam quae aureae aetatis imaginem procreaverunt. Iam adnotationibus indicavi in insula Syria neque terram fructus sponte efferre[3] neque homines a senectute liberos esse. Praeterea apud Homerum non dicitur homines *κακῶν ἔκτοσθεν ἀπάντων* vixisse aut eis *πάντα ἐσθλά* fuisse quae a vera vita longissime discedunt et talia sunt.

---

[1] Sed non sponte terra fructus suppeditare dicitur.
[2] Senectus vero deesse non dicitur.
[3] Hoc ex silentio concludere licet.

ut ad effectum duci non possint. Itaque auream aetatem e simpliciore cogitatione profluxisse elucet. Homines qui hanc imaginem sibi finxerunt nullam praeteriti temporis cognitionem habuerunt. Videmus quam Iones reliquos Graecos praecurrerint. Iones dico, nam illud non demum poetarum ingenio factum esse puto. Certe non a poetis profectum est quod imagines spatii, non temporis intervallo a viventibus separantur quod idem e proprio Ionum ingenio intellegendum mihi videtur. Videbimus poetas illos de hominum progressu sententiam quandam a progressu re facto non tam alienam habuisse quae fortasse Ionibus quodam modo communis erat. Quo factum est, ut perfectum statum in tempus praeteritum transferre[1] non possent. Itaque neque hoc casu accidisse puto, quod aureae aetatis quae tempore praeterito fuerit in carminibus Homericis nullum vestigium reperitur. Poetae illi qua erant animi natura hanc opinionem, si omnino noverunt, non agnoverunt.

Antecedentibus etiam aliud efficitur. Cum aureae aetatis imago tam simplicem cogitationem indicet, certe longe ante Hesiodum eam exstitisse putandum est. Etiam descriptionem traditam ante Hesiodum factam esse vidimus. Itaque non casu accidit quod de aureae aetatis hominum moribus nihil dicitur. Eorum mentionem fieri a primo consilio omnino alienum erat. Ne potuit quidem fieri, quoniam quo tempore descriptio orta est homines de bono maloque nondum certam notionem habuerunt — verborum significatione quam sero hoc factum sit scimus. Itaque, si descriptio tradita mores commemoraret, hoc antiquioris descriptionis proprium certe non haberemus. Nullo igitur modo aureae aetatis sensum explicaverunt ei interpretes qui ex argenteae aetatis descriptione auream aetatem etiam moribus perfectam intellexerunt, velut Buttmann et Roth. Secundum id quod capite altero effecimus aureae aetatis descriptio ex se ipsa intellegenda est. Si autem eam solam consideramus, non morum perfectionem sed status tantum imaginem cognoscimus.

---

[1] Hoc igitur antiquius est. Cf. Rohde l. a. p. 92 v. 19 sqq.

2.

Iam videamus, quomodo narratio antiquissima quam e narratione Hesiodea extricavimus orta sit. Qua quidem narratione, quomodo hominum vita a perfecto illo statu in praesentem statum degeneraverit, expositum erat. Descripsit igitur hic poeta qui aureae aetatis imaginem versibus expressit, quomodo hominum status progressus sit. Quomodo ad hunc progressum describendum pervenerit, recte cognovit R. Roth cuius verba proferam: „Alle solche Mythen gehen von zwei Tatsachen aus: von der Erfahrung der Gottentfremdung und Sündhaftigkeit des gegenwärtigen Geschlechts und von der Gewißheit, daß die Menschheit in ihren Anfängen Gott befreundet und nicht sündig gewesen sei und *gesucht wird der Übergang vom Anfang zum Ende.*“ [1] Videmus igitur poetam eo ad hunc progressum describendum adductum esse, quod aurea aetas praesenti tempori opposita est [2]. Haec res ad narrationis trimembris originem intellegendam summi momenti est. Si autem hoc respexerimus, concedemus quasi ultro vel paene necessario accidisse, ut aliquis auream aetatem cum praesente tempore coniungeret et, quomodo hic status ex illo exstitisset, exponeret. Optime Rohde: „Es ist nicht einmal verwunderlich, daß phantastische Spekulation, von dem gleichen Ausgangspunkte in der gleichen Richtung weitergehend, bei mehr als einem Volke, ohne alle Einwirkung irgend welchen geschichtlichen Zusammenhanges, zu Ausdichtungen des durch mehrere Geschlechter abwärtssteigenden Entwicklungsganges zum Schlimmen geführt worden ist, die untereinander und mit der hesiodischen Dichtung von den fünf Weltaltern die auffallendste Ähnlichkeit zeigen.“ [3] Sic argentea aetas exstitit et hanc vim eam primo habuisse necesse est, ut auream aetatem cum praesente tempore coniungeret. Quodsi in descriptione tradita hoc minus manifestum est, causa est quod non genuina descriptionis forma servata est, ut supra me

---

[1] l. a. p. 10.

[2] Vidimus aureae aetatis imaginem a praesentis status condicione vitiosa progressam esse.

[3] l. a. p. 92.

ostendise puto. Sed argumentum eius in universum constat, licet enim id ex aureae aetatis descriptione colligere et iam supra id adumbravi, cum argenteae aetatis descriptionem retractatam esse ostenderem. Argentea aetate genuina indicatum erat, quomodo aureae aetatis bona amissa essent, id est, poeta statum quendam depinxit cui nonnulla eorum deerant. Hic status propius ad praesentem statum accessit. Depravationes quae significatae erant eiusmodi fuisse opus est, quae etiam praesenti tempore essent. Hoc in versibus 130—132 interpretandis respiciendum est quos ex antiquiore narratione susceptos statui, quia quodam modo auream aetatem excipiunt. Miror, quod interpretes verba *ἑκατὸν ἔτεα* ad verba intellexerunt. Viderunt igitur in versibus mirum sensum. Quo factum est, ut aetas ipsa saepe male intellecta sit. Buttmann et alii effeminatum statum hic describi contenderunt. Mihi versus ut aureae aetatis res e verae vitae proprietate intellegendi videntur et ad liberorum molestam educationem spectare. Itaque *ἑκατὸν* numerale indefinitum est, ut iam Proclus vidit [1]. Alludit igitur poeta his versibus ad longam liberorum infantiam parentibus molestam, nempe e parentum non liberorum sententia dicti sunt. Cum longa infantia comparatum reliquum vitae tempus breve videtur. Sane et '*ἑκατὸν ἔτεα*' et '*παυρίδιον ζώεσκον*' valde modum excedit et verum statum in maius auget, sed hoc e stomacho intellegitur neque nos interdum aliter facimus [2]. Hi versus ab antiquiore huius aetatis descriptione supersunt. Confirmatur eis, quod de eius argumento suspicati sumus, etsi singula quae Hesiodus omisit restitui non possunt [3]. Concedendum autem est *illam* aetatem ab argento nominari potuisse.

[1] ad v. 130 (Gaisford p. 123).

[2] Ad locutionem alteram conferas Anaximandri sententiam (Diels Vorsokr. I[3] p. 21. 7: Aët. V 19, 4) *Ἀναξίμανδρος ἐν ὑγρῷ γεννηθῆναι τὰ πρῶτα ζῷα φλοιοῖς περιεχόμενα ἀκανθώδεσι, προβαινούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἀποβαίνειν ἐπὶ τὸ ξηρότερον καὶ περιρρηγνυμένου τοῦ φλοιοῦ ἐπ' ὀλίγον χρόνον μεταβιῶναι.*

[3] Imprimis, de accedente agriculturae labore quid poeta ille cogitaverit, scire velimus.

Argenteae aetatis desriptionem in antiqua narratione quaedam de praesenti statu querelae excepisse videntur. Hanc descriptionem Hesiodus plane omisit. Sed nescio an partem quandam eius habeamus. Puto versus 100—104 ab Hesiodo ex illa descriptione sumptos esse, quippe qui versibus 90—92 etiam ad auream aetatem alluserit.

3.

Iam totam illam narrationem consideremus. De narrationis origine iam actum est. Narrationis argumentum statum tantum fuisse vidimus: propter eius antiquitatem morum mentio fieri non potuit. Denique etiam sententia ipsa quae narratione indicatur digna est quam consideremus. Habemus sententiam progrediendi quamvis simplici forma. De qua ut recte iudicemus reminiscamur quaestionis, quomodo factum sit, ut perfectus ille status amissus esset et cur praesens status tot molestias praebeat, a Graecis etiam aliter responsum esse. Hanc responsionem in fabula de dolio aperto (Op. vv. 90—104) habemus cuius antiquior forma Babrii fabula 58 servata est. Hic status depravatus certo quodam hominis facto explicatur. Quae explicatio plane mythologica est. Certe antiquior est quam altera quae narratione trimembri continetur. Haec statum depravatum e progressu quodam intellegit: perfectus status progrediente tempore in peius mutatus est. Haec explicatio cogitandi statum progressum indicat, iam initium ratiocinandi. Pro certo habendum est, cum aurea aetas e populi mente profluxerit [1], sententiam qua hominum status mutatione quadam ab aurea aetate in praesentem modum pervenisse putatur, unius hominis ingenio deberi. Habemus igitur descriptionem certae rei progredientis quamvis simplicem.

Praeterea nonnullae aliae res in illa narratione notandae sunt. Primum respiciendum est eo, quod aurea aetas cum praesenti tempore interiecta argentea aetate coniuncta est,

[1] Nam etsi certa imaginis forma ab uno facta est, tamen opinio ipsa in uniuscuiusque mente viguit et ille popularium desideria comprehendit.

illam primum generis humani statum factam esse, cum antea non certum in tempore praeterito locum habuisset. Deinde verisimile mihi videtur illum poetam aetatum initia ita instituisse, ut a deis procreatae esse dicerentur, et hanc rationem ab Hesiodo susceptam esse. Nullo autem modo hac re depravati status culpa deis tribuitur. Postremo neque hoc praetermittendum est hanc narrationem non progressu qui re factus est considerato natam neque traditis rebus usam esse, sed factam esse cum inter auream aetatem cogitatione fictam et praesentem statum illi oppositum medius status fictus est.

Haec de hominum statu progresso sententia periculosa erat. Facile enim fieri potuit, ut putaretur statum amplius degeneraturum et in peius mutationem destinatam esse. Infra ostendere conabor Hesiodum hoc periculum, cum id perspexisset, tollere studuisse.

4.

Hoc loco haud inutile mihi videtur etiam de nominibus a metallis sumptis disserere, quoniam de eorum origine et sensu sententiae nondum constant. Verum autem diu ideo cognitum non est, quod in nominibus interpretandis maxime ex aenea aetate viri docti profecti sunt. Quae ad hoc minime apta est, quia in narratione multis rebus peculiaris est propter quas eam supra retractatione accessisse statuimus.

Qua in aetate cum inter nomen et hominum feritatem conexus esset, etiam in reliquis tale quid quaesiverunt et omni modo reperire studuerunt. Itaque in ferream aetatem id artificiose intulerunt, cum res fortuitas presserunt quas poeta non respexit. In argentea autem aetate cum nullo modo conexum efficere possent, poetam vituperaverunt. Tamen non deerant, qui etiam hic conexum aliquem sibi arcesserent. Ad hoc adducti videntur recta deliberatione qua nominum vim in omnibus aetatibus eandem esse debere putabant. Bamberger qui cautius egit nomina alterius et quintae aetatis non una cum his aetatibus orta esse sed casu aliquo accessisse censuit [1]. Roth demum ex eo, quod

[1] Sed mirum esse, si duarum quas statuit fabularum prima tantum aetas a metallo nominata esset, non animadvertit.

interpretatio vulgaris non ad omnes aetates referri potest, propositionem falsam esse conclusit neque nomina id significare quod qui ab aenea aetate profecti erant putaverant. Quae Rothii sententia magis respici debuit. Eam propterea non ab omnibus agnitam esse puto, quod ipse longius processit, cum in nominibus nihil nisi 'den bildlichen Ausdruck einer Reihenfolge' cognovit. Dicit enim: „Anstatt zu zählen: das erste, das zweite Geschlecht, wendet die Bildersprache des Mythos die Ordnung der Metalle nach ihrer Wertschätzung an und sagt: das goldene, das silberne Geschlecht." [1] Quibus verbis conexum plane negat. Eo autem ad hanc sententiam pervenisse videtur, quod in narratione Hesiodea argentea aetas cum argento non coit, praesertim cum eam plane malam intellexit. Sed hoc retractatione factum esse vidimus.

Itaque, quae vis nominibus insit, denuo quaeramus. Magni interest enodare, qua causa primo ad hanc nominandi rationem ventum sit. Hoc ex vetustissima tantum aetate intellegi potest. Haec aurea aetas est quae certe prima nomen accepit. *Hic* conexus quaerendus est: quod inter reliquas aetates et eorum nomina intercedit primo nullius momenti est. In aurea autem aetate quid nomen significet, luce clarius est neque ulla de hac re dubitatio esse potest. Tertium comparationis inter aurum et perfectum vitae statum *praestantiam* esse apparet. Quid clarius est, quam perfectum statum a pretiosissimo metallo nominari? Alius autem conexus hic non est. Ut praestantia indicetur unicus nominandi finis est. Idem etiam alia nomina, praeter aes, significare veri est simillimum. Videamus iam, quomodo haec nomina orta sint. Etsi haec nominandi ratio non simplex videtur, quia abstractum a concreto nominatur et adiectivum *χρύσεος* translate adhibetur, tamen haec translatio ita in proximo erat, ut perfectum statum multo prius, quam narratio trimembris orta est, ab auro nominatum esse putem. Hac re Rothii nominum interpretatio improbatur. Si, ut putat, ordinem tantum significarent, tum demum

---

[1] l. a. p. 12.

exsistere potuerunt, cum illa iam confecta erat. Postquam aureae aetatis nomen ortum est, reliquas aetates statim cum fierent a metallis nominatas esse certum est. Cum autem perfectus status eo metallo significaretur quo ad ornamenta tantum facienda homines utebantur, quasi ultro factum est, ut praesens tempus illi oppositum ab eo metallo nominaretur quod ad instrumenta facienda utebantur. Hoc antiquissimis temporibus aes, postea ferrum fuit. Fieri potest, ut primo praesens tempus ab aere nominatum sit et aliquamdiu hoc nomen servaverit [1]. Sed in narratione trimembri a ferro nominatum esse apparet, cum Hesiodum ita ferream aetatem induxisse viderimus, ut eum hoc nomen accepisse statuendum sit. Tum media aetas quasi ultro ab argento nominata est, quia aurea inferior, sed praesenti tempore melior erat. Quo factum est, ut metallorum series in peius declinans descendenti aetatum ordini primo responderet. Sic Kirchhoff nomina intellexit quem in capite primo secutus sum [2]. Tamen rem ab initio repetivi, quia recta interpretatio nondum vicit. Velut Robert Prelleri sententiam servavit [3]. Reperit in narratione progressum non modo secundum praestantiam sed etiam secundum naturam metallorum. Deinde sic interpretatur: „Gold bedeutet Seligkeit und Fülle, Silber noch immer große Auszeichnung, aber schon Verfall und Verweichlichung, Erz Streitbarkeit und blutigen Untergang, Eisen harte Arbeit des jetzigen Lebens." Maxime offensioni est argenti interpretatio quae ex ipsa narratione sumpta est eo consilio, ut argentum cum aetatis descriptione coire videatur. Sed etiam, quin conexus qui est inter ferrum et durum laborem nominandi causa fuerit, dubito.

Iam de antiquiore narratione quaerendi finem faciam. Priusquam autem ad narrationem Hesiodeam aggredior, aliam quaestionem inseram quae primo digressio legenti videbitur. Sed quo consilio eam instituerim brevi perspiciet.

---

[1] Minime tamen in aenea aetate quam legimus antiquissima praesentis temporis descriptio servata est.

[2] l. a. p. 51. [3] l. a. p. 90.

5.

Vidimus supra opinionem aureae aetatis quae tempore praeterito fuerit in carminibus Homericis non occurrere, eo hoc factum esse suspicati, quod opinio ab illorum poetarum ingenio abhorruit. Itaque minime mirum est neque narrationis trimembris ad eam attextae ullum apud Homerum vestigium reperiri. Num autem omnis de hominum progressu sententia deest? Minime. Etsi enim narratio continua non occurrit, tamen hic illic vestigia inveniuntur quibus coniunctis imago quaedam evenit.

Omnibus nota sunt verba *οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν* Il. V 304, XII 383, 449, XX 287: *οἳ νῦν βρ. εἰσιν* I 272; *ὅσσοι νῦν βρ. εἰσιν* Od. VIII 222. Quibus — exceptis duobus locis postremo prolatis — poetae aequales heroibus celebratis opponuntur[1]. Sed non solum praesens tempus et heroum aetatem poeta novit, sed antea etiam aliud tempus discernit de quo certas sententias habet. In duobus locis quos excepi heroes quidam his verbis utuntur, primum Nestor, deinde Ulixes. Nestor rixam inter Achillem et Agamemnonem ortam sedare studens argumentum profert etiam *ἀρείους* sibi oboedientes fuisse. Enumerat Lapitharum reges, Peirithoum, Dryantem, Caeneum, Exadium. Hos omnium hominum validissimos fuisse et etiam viventes (sc. heroes) vi superare. Finem facit verbis

κείνοισι δ' ἂν οὔ τις 271
τῶν, οἳ νῦν βροτοί εἰσιν ἐπιχθόνιοι, μαχέοιτο 272

Ulixes, postquam ob Euryali verba iratus discum ulterius iaculatus est, quam omnes qui ante eum iaculati erant, se sagittando ab uno Philocteta superari dicit. Deinde pergit (Od. VIII 221 sqq.)

τῶν δ' ἄλλων ἐμέ φημι πολὺ προφερέστερον εἶναι
ὅσσοι νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες.
ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω,
οὔθ' Ἡρακλῆι οὔτ' Εὐρύτῳ Οἰχαλιῆι κτλ.

[1] Etiam hic, etsi non eodem modo atque in aurea aetate, praeteritum tempus ab hominibus augeri videmus.

Ex his duobus locis cognoscimus poetam opinatum esse ante heroes aliud hominum genus fuisse quod etiam illos robore superavisset. Hi homines altero loco *πρότεροι ἄνδρες* nominantur quo nomine significantur etiam Il. IV 308 *οἱ πρότεροι*, V 637 *ἐπὶ προτέρων ἀνθρώπων*, IX 524 *τῶν πρόσθεν... ἀνδρῶν ἡρώων*, ibidem v. 554 *ἀνδρῶν τῶν τότε*, ubi Idas validissimus illorum virorum indicatur, — in Odyssea praeter locum allatum etiam XI 630. Sed cum robore *ὕβρις* coniuncta est quae ex eo elucet, quod etiam deis resistere audent. Hoc Od. VIII 225 sqq. de Hercule et Euryto dicitur et sequentibus versibus exponitur, quomodo Eurytus ab Apolline quem ad certamen provocaverat occisus sit. Idem ex alio loco discimus quo simul diversa heroum animi natura apparet, Il. VI 123 sqq. Est locus de Glauco et Diomede congredientibus. Hic dicit (128—129)

εἰ δέ τις ἀθανάτων γε κατ᾽ οὐρανοῦ εἰλήλουθας,
οὐκ ἂν ἐγώ γε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.

Quod sequentibus versibus comprobatur

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος
δὴν ἦν, ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν κτλ.

Hunc Lycurgum quoque *προτέρων* numero adnumerandum esse infra accuratius cognoscemus. Dionysum expulerat ideoque a Iove excaecatus est neque diu vixit. Itaque *πρότεροι* qui dicuntur homines ferum et bellicosum genus fuerunt. Quibus quid cordi fuerit, optime cognoscere licet e rebus quae in Herculis *τελαμῶνι* fictae esse dicuntur Od. XI 611—612

ἄρκτοι τ᾽ ἀγρότεροί τε σύες χαροποί τε λέοντες,
ὑσμῖναί τε μάχαι τε φόνοι τ᾽ ἀνδροκτασίαι τε.

Ne deos quidem illi homines veriti sunt. Contra heroes modum habuerunt neque terminos a deis hominibus positos transierunt. Itaque, cum in prioribus illis hominibus temerariam audaciam ipsorum tantum arbitrio subditam habeamus, in heroibus robur rationi oboedit et divinum ordinem respiciunt.

Videmus etiam a poetis Homericis plures hominum gradus discerni neque vero status sed hominum ipsorum. Ita autem progrediuntur, ut robur deficiat. Itaque etiam hic depravationem quandam habemus. Sed simul mores in melius procedunt.

Etiam, quo tempore illos feros et validos homines vixisse putaverint, cognoscere possumus. Ex quibus duo nomen *Δρύας* habent, Il. I 243 rex quidam Lapitharum, VI 130 Lycurgi illius pater. Dubitari non posse puto, quin hoc nomen originem habeat e verbo *ἡ δρῦς*. Itaque hi viri a quercu genus ducunt. Quomodo hoc intellegendum est? Ed. Meyer ad verba *ἐκ μελιᾶν* (Op. v. 145) disputavit de opinione antiquissima qua primi homines arborum fructus orti esse putabantur[1]. Hanc etiam hic invenio. Sequitur illud hominum genus quod ante heroes vixisse putabant primum fuisse et de hominum initiis quid poetae Homerici senserint hic indicari[2]. Concedendum autem est ea quae de illis prioribus hominibus dicuntur optime de hominum generis initiis dici potuisse.

Iam hanc de hominum progressu sententiam cum narratione trimembri comparemus. In hac nulla veri progressus cognitio inest neque res de tempore praeterito traditae, immo plane cogitatione ficta est. Progreditur autem narratio non respondens rerum actarum seriei, utpote quae a perfecto initio in peius descendat. Contra progressus quem in carminibus Homericis invenimus in universum a progressu qui re factus est non abhorret. Veri status observationem indicat[3]. Apparet igitur hunc progressum a mutatione quae narratione trimembri descripta erat plane diversum esse. Etiam hac in re clarioris Ionum intellectus et perspicacis omnium rerum observationis quam admiramur exemplum habemus.

---

[1] l. a. p. 181 A 1. Antea Preller-Robert l. a. p. 79 de hac re disseruit.

[2] Huic rei certe non repugnat, quod etiam illorum priorum quidam a deis prognati dicuntur, velut Hercules. Heroum proprium hic ad priores translatum est.

[3] Cum mercatores Ionici in navigationibus gentes feroces et omni cultu carentes cognoscerent, fieri potuit, ut etiam ipsorum gentem olim incultam fuisse concluderent. Eiusmodi gentis memoriam in Laestrygonum descriptione vigere puto quae verum quendam statum respicere videtur versibus Od. X 98—99.

Cap. IV.

Iam ad narrationem Hesiodeam qua non tam status quam hominum ipsorum progressum describi vidimus accedamus et, quo consilio Hesiodus antiquiorum narrationem retractaverit, quaeramus.

Primum, quomodo de illa cogitaverit, videamus, quo facilius, cur demutaverit, intellegamus. Rerum humanarum progressum qui ea indicatur e mera cogitatione profluxisse vidimus. Num hoc ad Hesiodi de narratione iudicium alicuius momenti erat? Minime. Nullo modo, quam a vero progressu discreparet, cognoscere potuit, quippe qui hunc non novisset. Certum est eum hunc progressum non minus re factum putavisse, quam res quae apud Homerum narrantur. Recte dicit Rhode: „Was er von dem Urzustande der Menschheit und dem Stufengange der Verschlimmerung zu erzählen weiß, gibt er . . . wie er selbst es ohne Zweifel wahrzunehmen glaubte, als Überlieferung eines tatsächlich Geschehenen, als Geschichte.“ [1] Non igitur cognoscere potuit Homericam de hominum progressu sententiam progressui re facto magis respondere quam progressum qui narratione trimembri indicabatur.

Praecipue Hesiodi de aurea aetate sententia respicienda est. Cuius genuinam vim multis de causis Hesiodi tempore non minutam, immo potius auctam esse puto. Maxime hoc ex illorum temporum condicione colligo. Est tempus quo status *Ἡρακλειδῶν καθόδῳ* ortus viguit, quo agricolae a nobilibus vexabantur. Apud illos iucundissimi status imaginem quam maxime viguisse puto. Valde meliorem statum desiderabant quem effectum iri vix sperare potuerunt. Itaque eos a longinquis temporibus solacium petere et animum ex ingrato praesenti tempore in praeteritum remittere in proximo erat. Sic aurea aetas horum hominum quasi ultimum perfugium facta est, quo e vitae miseriis sese receperunt, ut animis perciperent bona quae eis a fortuna denegata erant. Num Hesiodum hac in re aliter sensisse putamus quem, quam angustis rebus afflictus sit, e carmine

---

[1] l. a. p. 93.

eius videmus? Ipsi quoque praesens tempus quodam modo invisum erat. Ergo poetae antiqua aureae aetatis imago minime, ut Meyer putat, mera fabula erat neque materia qua ad arbitrium uti potuit, sed ad historiae fidem confecta: qua cum traditum esset deorum ipsorum numine ac voluntate generis humani condicionem illam quidem statutam esse, ne quid mutaret, religione impediebatur. Hoc eo comprobari puto, quod imaginis genuinae rationem habuit neque, quamvis hoc e consilio eius esset, de moribus quicquam adiecit. Itaque Meyerum valde erravisse puto dicentem poetam argentea aetate ostendere voluisse aureae aetatis statum hominibus salutarem non esse, quo fieret, ut hic status ipse depravationis causa esset.

Excepta autem aurea aetate Hesiodus narrationem susceptam valde mutavit, quod certo consilio eum fecisse verisimile est. Hoc iam exquiramus. Maxime est insigne eum mutationem constanter in peius declinantem retractatione turbavisse. Ut heroes omittam, praecipue argentea aetate mutata ita eam turbavit, ut putandum sit poetam eam respuisse. Ideo autem eum hoc fecisse puto quod, quantum periculum in illo progressu constanter descendente esset, cognovit. Vidimus fieri potuisse, ut status ultra descensurus putaretur. Hoc periculum defendere studuit, quippe qui meliorem statum fieri posse putaret (v. 175) et ipsos homines meliores facere studeret. Nisi ea de causa, cur Hesiodus argenteam aetatem ita mutaverit, non intellegitur.

2.

Gravissimum autem est, quod Hesiodus narrationem duabus aetatibus insertis auxit. Etiam hoc certo consilio factum esse necesse est.

Incipiamus ab heroum aetate in qua poetae consilium manifestum est. Inserta est propter carmina Homerica. Quam causam sufficere puto, etsi Rohde negavit [1]. Poeta rebus apud Homerum traditis coactus est eam inserere. Una cum carminibus Homericis heroum gloria trans mare venerat,

---

[1] l. a. p. 94 v. 12 sqq.

ut in hominum progressu nullo modo deesse possent. Neque invitum poetam heroes inseruisse puto, quippe qui mutationem constanter declinantem non voluerit. Eum hanc aetatem proprio modo consilio suo adaptavisse infra videbimus.

Multo difficilius est diiudicatu de aenea aetate inserta, quia Hesiodus non, ut in heroibus, eam inserere coactus erat. Ne hoc quidem constat, quid omnino significetur. Friedlaender aetatem e versibus 150—151 originem duxisse putat[1]. Sed eo, quod ferri usus novissimis demum temporibus hominibus contigit, cur tota aetas inserta sit, non explicari equidem iudico. Unde enim argumentum venisse statuamus? Num plane inventum est? Hoc eo improbari puto quod aetas, ut e verbis *ἐκ μελιᾶν* elucet, ad initia hominum spectat, qua re hic non bene locum tenet. Praeterea Hesiodum hoc modo aetatem quae antea in opinione non erat de suo finxisse verisimile non est[2]. Meyer miram viam ingreditur qua ad finem pervenire non possumus[3]. Putat Hesiodum ea quae de heroibus apud Homerum traduntur in duas aetates divisisse[4]. In tertia aetate eum unum heroicae aetatis proprium, exitiabilem vim bellicosi generis, descripsisse, in quarta aetate heroum dignitatem et beatam sortem quae nonnullis eorum contigerit. Hic Meyer antiquiorem sententiam in usum suum convertit. Aeneam et heroum aetatem idem tempus esse primus Steitz coniecerat[5]. Quam sententiam Rohde 'frappierend' vocavit, sed tamen ei non assensus est[6]. Ego fieri non posse puto, ut heroum aetas aut in illa longe diversa descriptione cognoscatur, aut omnino sic describi potuerit. Quae sententia a Steitzio quidem iure quodam proferri potuit, ut qui heroes postea insertos existimaret. Qui autem, ut Meyer, utramque aetatem Hesiodeam putat, utramque ad heroes referre non potest. Accedit, quod duae illae res quas Meyer in heroibus

[1] l. a. p. 804. [2] Vide **Rohde** l. a. p. 98. [3] l. a. p. 182.

[4] Similiter antea p. 177—178 etiam argenteam aetatem ex aurea explicaverat. Quam sententiam ideo refutare supersedi, quod, quoniam argenteam aetatem antiquissimae narrationis partem cognovimus, concidit.

[5] l. a. p. 61. [6] l. a. p. 94 A 1.

discernit ipsa heroum aetate continentur: τοὺς μὲν (161) — τοὺς δὲ (167).

Sed qua re iam Hesiodus, ut hanc aetatem insereret, adductus est et unde eam sumpsit? Cum argentea aetate sententiarum quidem nullo vinculo cohaeret. Restat, ut cum heroibus quodam modo coniuncta sit. In memoriam reducamus id quod apud Homerum repperimus. Ante heroes προτέρους statuimus de quibus disputavi. Nonne aeneae aetatis descriptio simillima est eis quae de prioribus illis hominibus dicuntur? Etiam aeneae aetatis homines validi et bellicosi sunt. Praeterea id quod de duobus priorum statuimus, eos ab arboribus genus ducere, hic de toto omnino genere indicatur. Itaque iam Betke huius aetatis homines προτέρους illos esse contendit [1]. Inde aeneam aetatem Hesiodeam profluxisse puto. Sane sententiam de hominibus qui ante heroes vixerint e singularibus locis Homericis colligere debuimus, sed hoc ad sententiam meam improbandam nihil valet. Respiciendum est quod carminum Homericorum quae ferebantur parva tantum ad nostram quidem memoriam pars pervenit. Fieri potest, ut sententia illa alibi fusius exposita fuerit.

Videmus igitur Hesiodum narrationem trimembrem quam susceperat cum diversa poetarum Ionicorum de hominum progressu sententia contaminasse [2]. Eo autem consilio eum hoc fecisse puto, ut unus progessus eveniret. Quo factum est, ut duae priores narrationis Hesiodeae aetates a reliquis discrepent. Inseruit autem Hesiodus Homericas aetates inter argenteam et ferream aetatem. Hoc proximum erat, quia heroes praesens tempus antecedunt; etiam ab Hesiodo aperte προτέρη γενέῃ vocantur (v. 160). Quo factum est, ut πρότεροι quos apud Homerum primos omnium hominum fuisse vidimus ab illo loco removerentur et in mutationis seriem venirent. Si aeneam aetatem ita intellegimus, cur id quod ad

---

[1] l. a. p. 48, ubi plurimi loci supra prolati tractantur. Sed id tantum voluit ostendere. aeneam aetatem etiam Homero notam fuisse.

[2] Ex hac ipsa re quod initio capitis statui elucet Hesiodum id quod inter narrationis antiquioris et sententiae Homericae naturam intercedere vidimus non cognovisse.

initia hominum spectat tertium narrationis locum obtineat, perspici puto. Iam, quod aenea aetas cum antecedentibus extrinsecus tantum coniuncta est et verbis *οὐκ ἀργυρέῳ οὐδὲν ὁμοῖον* (v. 144) ab argentea separatur, non miramur.

Iam, quod de narratione Hesiodea effecisse mihi videor, brevibus comprehendam. Complectitur narratio unum progressum quem eo Hesiodus paravit, quod in narrationem trimembrem traditam sententiam quam apud Homerum de hominum progressu invenerat inseruit.

3.

Iam de totius narrationis Hesiodeae consilio disputemus. Hoc maxime e quinta aetate elucere vidit Steitz: „Für Hesiod ist die Schilderung des eisernen Alters, des fünften bei ihm, eigentlicher Zweck und Ziel seiner Dichtung.“ [1] Inde ab initio huius partis descriptionem ex Hesiodi ingenio profluxisse statuimus. Quam nunc accuratius consideremus.

Poeta valde animo commotus est. Hoc statim ex initio elucet: plane aliter haec aetas introducitur atque priores omnes. Poeta initio tradito neglecto animi affectui se dedit. Accedit, quod Lehrs versus 174 sq. non constanter dictos esse cognovit [2]. Non tamen intellegere hoc studuit, immo poetam vituperavit. Reapse a poeta hic duas sententias

---

[1] l. a. p. 61.

[2] Vide Goettl.-Flach ad v. 174. Lehrs sententias recte dissolvit. A quo Fussium (l. a. p. 39 A 1) non bene discessisse puto has sententias statuentem: „Daß ich doch nicht mehr (*μηκέτι*) gelebt hätte, als das fünfte Geschlecht Zeus schuf“ et „Daß ich doch dann (*ἔπειτα* = nach dem vierten Geschlecht) nicht unter den Menschen des fünften Geschlechts lebte.“ Sententia prima falsa est; sequeretur enim Hesiodum etiam antecedente aetate vixisse. Sane etiam Steitz (l. a. p. 64) et Rohde (l. a. p. 93) Hesiodum ferream aetatem incipientem putare concluserunt, e verbis *ἢ πρόσθε θανεῖν*, ut videtur. Tamen hoc fieri non potest: heroum aetas Hesiodi tempore plane praeterita erat. Accedit, quod e verbis *ἢ πρόσθε θανεῖν* Hesiodum etiam ante quintam aetatem vixisse concludere non licet. Locutio ‘utinam antea mortuus essem’ nihil aliud significant, nisi ‘utinam antea vixissem’. Pro vita finis vitae indicatur, quod propter sequens *γενέσθαι* factum esse apparet.

confusas esse minime mirum est: iniuriarum acceptarum memoria quae erumpit, ubi ad suum tempus pervenit constans cogitatio ei intercipitur.

Etiam sententiarum progressus dignus est, quem consideremus. Post versum 181 nonnulli interpretes velut Proclus, C. Fr. Hermann, Vollbehr, Schoemann sextam aetatem describi putaverunt. Quod quamquam iam dudum refutatum est cum aliis rebus tum eo quod etiam antea inde a versu 177 poeta de tempore futuro disseritur, tamen sententiarum progressum optimum esse non satis viros doctos perspexisse puto. Minime mirum est aetatis interitum non narratione exeunte sed paulo post initium aetatis indicari. Versibus 176—178 vitae aerumnae enumerantur. Versus 180 cum antecedentibus arte coniunctus est sententia secundaria temporali quae versu 181 continetur. Nam poetam putare laboribus versibus 176—178 propositis fieri, ut homines cani nascantur apparet e versu Od. XIX 360

αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσιν.

Hunc nexum etiam Vollbehr cognovit: „Sententia enim haec est: cum miseriarum ea ingruerit moles, ut iam nascentes senium quoddam occupet“ [1]. Versuum 176—181 sententia igitur haec est: homines laboribus et aerumnis cruciabuntur tantisper, dum corpora plane degeneraverint; tum Iuppiter eos delebit. Deinde versibus 182—201 morum depravatio proponitur, ea certe quae *ante* interitum erit. Qui versus cum antecedentibus quodam modo coniuncti sunt. Indicant quasi causam aerumnarum et interitus [2].

Est autem mirum in hac descriptione, quod poeta inde a versibus 176—177 de *futuro* tempore disputat, ut eum maximam partem de praesenti tempore non agere appareat. Ad tempus praesens nihil nisi versus 174—176 pertinet; quibus tamen, quid poeta de sua aetate senserit, satis per-

[1] l. a. p. 45 A 113.

[2] Hic, ut saepius in Operibus, quomodo sententiae conexae sint, non aperte indicatur. Si autem haec Hesiodi sententia est, quod infra comprobabitur, apparet eum malis moribus etiam statum depravari putavisse, ut status depravatus e malis moribus ei ortus esse videatur.

spicuum fit, plus enim dicunt quam descriptio verbosa. In primis sententia versus 176 quam miremur digna est. Ipsa brevitate gravis est. Tres syllabae graves quibus versus incipit, mallei vim habent. Sed quomodo iam sequens futuri temporis imago atris coloribus picta intellegenda est?[1] Poeta indicare videtur, quomodo suum tempus progressurum sit, ut vaticinium his versibus contineatur. Sed hoc vaticinium ab Hesiodi sententia plane abhorret. Sequitur enim, ut homines degenerare, non iam desinant. Supra autem ex argentea aetate mutata et ex heroibus insertis eum mutationem constanter in deterius descendentem noluisse collegimus. Deinde e verbis *ἢ ἔπειτα γενέσθαι* poetam meliorem statum sperare vidimus. Optime Peppmueller, ut Hesiodum non a spe alienum esse comprobaret, versum 273 protulit[2]. Quae cum ita sint, quomodo fieri potuisse censes, ut hic talem de tempore futuro imaginem depingeret? In primis verba *κακοῦ δ᾽ οὐκ ἔσσεται ἀλκή* quibus narratio finitur cum illis sententiis pugnant. Gravissimum autem est, quod poeta semper in Operibus eos quos alloquitur meliores facere studet. Suo iure Fuss quaerit: „Aber wozu des Dichters Mahnungen zur Arbeit und Gerechtigkeit, wenn die Entartung doch unaufhaltsam ist?[3] Accedit, quod poeta etiam hac narratione se fratrem docere velle diserte indicat verbis *σὺ δ᾽ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν* (107). Quomodo autem hoc vaticinio Persae neglegentia tolli potuit? Quibus omnibus rebus hanc descriptionem proprium sensum habere apparet. Priorum interpretum quidam, D. J. Lennep, rectum sensit: „Praesagiebat Hesiodus fore, ut (Iuppiter) . . . ferreum quoque genus post evectam ad summum eius pravitatem prorsus de medio sublaturus esset. Itaque poeta, quales futuri essent proxime ante illum exitum quinti generis mores, vividissimis coloribus descripsit versibus 182—201, id agens haud dubie,

---

[1] In universum de hac re recte iudicavit Fuss l. a. p. 42—43 Cum autem eius sententia magis confirmari et explanari possit — quid poeta cum futuris velit, non dicit – haud inutile mihi videtur quaestionem inde ab initio repetere etiam priorum interpretum ratione habita.

[2] Fleckeis. ann. 141 (1890) p. 653. [3] l. a. p. 42.

ut proposito etiam horum scelerum exitu, Iove illa vindicante, sui temporis homines ab illis *deterreat*." [1] Eo certe consilio hac imaginem depinxit. Apparet igitur, poetam vaticinium evenire non velle, immo studere, ut hunc exitum prohibeat. Non utique eventura proponit, sed ea quae e condicione quadam pendeant. Describit, quomodo ferrea aetas progressura sit, nisi homines ab iniuria omnibusque vitiis desistent et emendatiori vitae studebunt. Quae condicio, etsi non diserte indicatur tamen nemini legentium dubia esse potuit [2]. Itaque etiam hic consilium habemus quo poeta eos quos alloquitur meliores facere studet. Hoc poetam narratione vel maxime consectari iam exponam.

Steitz loco prolato pergit: „... und er stellt dessen (des fünften Geschlechts) Verdorbenheit besonders der Trefflichkeit des heroischen gegenüber." [3] Certe poetam non fugit post hanc imaginem sequentis aetatis descriptionem tristem et severam eo maiorem vim habere. Ex his aetatibus oppositis Hesiodi consilium maxime elucere puto. Si accuratius spectabimus poetam audientem — vel legentem — ad has diversas aetates comparandas adducere velle cognoscemus. Hoc apparet ex eo, quod *ἥρωον γένος* dicitur *δικαιότερον καὶ ἄρειον*. Praecipue *δικαιότερον* illud, quod in Homericis carminibus non tam insigne est, aetatis sequentis iniustitiae oppositum est. Maximi autem momenti est, quod heroum pars a Iove in beatorum insulis collocata esse dicitur, ubi iucundissimam vitam vivunt [4]. Quod Hesiodus certe propter illam iustitiam factum esse putabat (cf. v. 138 sq.), etsi apud Homerum plane alia causa indicatur (Od. IV 569)

οὕνεκ᾽ ἔχεις Ἑλένην καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.

---

[1] Hesiodi Opera et Dies (ed.), Amstelod. 1847, p. 44.

[2] Fuss l. a. p. 42.

[3] Crusius, Literarisches Zentralblatt 1890, p. 188 de quarto saeculo dicit: „welches doch wohl als kontrastierendes Gegenbild vor das fünfte gesetzt ist".

[4] Secundum poetae verba omnes sunt qui in proeliis non ceciderunt. Verisimile mihi videtur eum consilii gratia, quo magis eos praemium iustitiae percepisse eluceat, numerum eorum quibus hoc contigisse putabatur auxisse.

Cui rei aperte oppositum est quod ferreae aetatis hominibus proponitur Iovem eis, postquam laboribus paene attriti erunt, interitum paraturum esse. Oppositum autem etiam id est, quod de aenei saeculi hominum ferocium exitu dicitur

βῆσαν ἐς εὐρώεντα δόμον κρυεροῦ Ἀίδαο 153
νώνυμνοι

et verba *Ζεὺς Κρονίδης ἔκρυψε χολούμενος* (138) in argentea aetate. Hoc neminem fugere potuit. Etiam hoc, indicare quid singulis aetatibus evenerit vel eventurum sit, intellegendum est e consilio poetae quod exposui. Cum, quid improbis et iniustis contigerit, exponit et iniustis aequalibus interitum proponit, eos ab iniuriis deterrere vult. Cum autem heroum iustorum iucundissimam vitam describit, eos ad mores emendandos incitare studet. Similiter poetam multis Operum locis poenas vel praemia proponere in commentationis initio ostendi. Videmus, quam bene heroes consilio suo adaptaverit.

Iam, quid poeta narratione voluerit, apertum esse puto. Indicat, quomodo homines progressos esse putet. Sed maxime eius interest, ut audientes ex hoc progressu discant, quomodo sese gerere debeant. Itaque maxime de moribus disserit et, quid singularum aetatum hominibus contigerit, adicit. Proponit unamquamque aetatem dignum vita exitum consecutam esse. Itaque etiam hac narratione poeta adhortatur. *Adhortatio vel maxime est* et adhortandi causa hominum progressus describitur. Ex historia, ut ita dicam, ostendere et confirmare vult iustitiam praemio, iniustitiam poena affici. Quomodo autem homines se gerere debeant, maxime duabus ultimis aetatibus oppositis indicat. Hoc fere dicere vult: heroes iusti bene se habuerunt. Nisi vero vos a vitiis destiteritis, mores etiam magis depravabuntur et labores augebuntur, donec postremo Iuppiter totum genus exstinguet. Quare imitamini heroum iustitiam. Quod si feceritis etiam statum meliorem assequemini. Fieri autem posse, ut melior aetas oriatur, praeter versum 175 eo ipso indicatur, quod heroes post peiores locum tenent[1].

[1] Ad haec conferas quae protulerunt Fuss (l. a. p. 42 sq.) et E. Meyer (l. a. p. 183 sqq.). Hic quoque adhortationem in narratione

Apparet ei qui poetae consilium cognoscere vult minime ab aurea aetate proficiscendum esse. Quia hanc maxime respexerunt, multi interpretes narrationis sensum non perceperunt, velut Lisco qui eam miseriae humanae explicationem intellexit[1]. Haec res quam in antiquiore narratione expositam fuisse vidimus apud Hesiodum plane recedit. Etiam magis improbanda est sententia Friedlaenderi: „Der Mythus von den Weltaltern soll gleichfalls (ut antecedens de dolio aperto fabula) das Dasein des *πόνος* erklären.“[2] Ad hunc in narratione Hesiodea vix alluditur. Ne antiquissimae quidem narrationis argumentum significatur, quia etiam in illa non solum de laboribus sed de toto vitae statu actum est, ut aureae aetatis descriptione cognoscere licet. Neque E. Meyero concedere possum Hesiodum fratrem narratione etiam ad laborandum incitare velle[3]. Hoc nullo verbo indicatur. Sed fortasse dixerit quispiam neque id quod ego

---

invenit: „Der Weg, den du gehst . . . führt ins Verderben, aus ihm erwächst das fortschreitende Elend unserer Zeit . . . füge dich den Gesetzen der *Αἰδώς* und *Νέμεσις* . . .“ (p. 187). Sed non recte futura ad verba accepit: „Aber gegenwärtig ist das Übel noch in vollem Fortschreiten“ (p. 185).

[1] Quaestiones Hesiodeae p. 60.

[2] l. a. p. 803. Minime necessarium est poetam hac narratione idem velle atque antecedente. Immo, ut in prima Operum parte qua de duabus contentionibus disserit primum de laboribus suscipiendis deinde de iustitia agitur, ita etiam harum narrationum prima ad laborem (recte Fuss p. 33 A 5) altera maxime ad iustitiam spectat. Hoc inter narrationes intercedere optime cognovit Steitz: „In jenen Versen war nur von den äußeren Verhältnissen die Rede, der Leichtigkeit des Lebens früher und den Schwierigkeiten, mit denen die Menschen jetzt zu kämpfen haben. Dieses Gedicht hingegen hebt vor allem die zunehmende moralische Verderbnis hervor“ (l. a. p. 52).

[3] l. a. p. 187 in fine commentationis. Meyerum multa e narratione elicuisse quae versibus traditis minime indicantur, saepius vidimus. Praecipue in ferrea aetate explicanda hoc modo egit. Facere non possum, quin unam praecipuam rem commemorem. Ex eo, quod ferrea aetas aenea peior est et poeta versibus 150—151 scire se indicat olim ferrum non fuisse notum, immo aere homines usos esse, Hesiodum putare colligit cultu crescente mores depravari (p. 184; 187). Sed transitu ab aere ad ferrum poeta minime 'intellegendi' vel 'cultus progressum' indicare vult.

Hesiodi consilium esse statui aperte indicari, immo a me in narrationem illatum esse. Is deliberet, num Hesiodus adhortationem magis explicare potuerit. Cognoscet Hesiodum narrationis forma, ne eam dilucidius indicaret, impeditum esse. Legentium arbitrio permittere debuit, quid e narratione colligere vellent. Hoc eo minus mirum est, quia poeta neque in antecedente narratione indicat, quatenus versuum 42—46 sententia ea illustretur, quamquam rationem quae intercedit non magis manifestam esse ex interpretum sententiis elucet. Neque fabulae de accipitre et luscinia (Op. v. 202—212) sensus non aperte indicatur. Placet poetae legentem ad meditandum incitare.

Postremo paucis verbis de Hesiodi narratione iudicemus. Habemus idem quod saepius apud Hesiodum invenimus: sententias graves, duram formam. Certe poeta, cum moribus describendis animum intendit fabulam traditam simplicem amplificavit et tamquam philosophiae doctrinis auxit. Sed idem narrationis ordinem retractatione ita turbavit, ut nominum significatio obscura fieret. Neque ei contigit, ut partes ab ipso additae cum susceptis plane coniungerentur. et in unius narrationis corpus coalescerent. Imprimis ideo narratio dispar fit, quod argumentum diversum est. Narratio aliter incipit, aliter procedit. Aurea aetate tota de statu vitae agi vidimus. Quod narratione procedente omittitur. Quando bonorum externorum abundantia desierit nullo verbo indicatur. Hesiodus res quae ei cordi erant susceptis non bene adaptavit. Quo factum est, ut narratio incerta et inconstans videatur. Hoc maxime eo efficitur, quod Hesiodus narrationi antiquiori alium sensum dedit neque tamen eum qui ante erat plane tollere potuit[1]. Huc accedit, quod aetates ita descripsit, ut — exceptis duabus prioribus, ubi hoc servavit — nullo sententiarum vinculo inter se coniunctae sint neque sequens quaeque ex antecedente profluxisse videatur.

---

[1] Optime comparari potest fabula de fraude Meconea Theog. 534—557.

Vita.

Natus sum Wolfgang Ioachim Hartmann a. d. VII kal. Apr. anni MDCCCXCII Friburgi Brisigavorum patre Ricardo nonnullis annis ante praematura morte mihi erepto, matre Frieda e gente Keil. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus per novem annos frequentavi gymnasium Friburgense quod a Bertholdo nomen habet. Ibi mense Iulio anni 1910 maturitatis testimonium assecutus sum rectore Iosepho Hermanno Schmalz cuius disciplina me usum esse semper gaudebo. Deinde in universitate litterarum Alberto-Ludoviciana per novem semestria studiis philologicis et historicis operam dedi. Docuerunt me viri doctissimi

Aly, v. Below, Cohn, Fabricius, Finke, Heer, Kieckers, Kluge, Koelbing, Koerte, Mehlis, Reitzenstein, Schneider, Schwartz, Schulz †, Suetterlin, Thiersch, Thurneysen, Vigener.

Seminarii philologici Eduardo Schwartz, Ricardo Reitzenstein, post Schwartzii discessum Alfredo Koerte moderantibus per quattuor semestria sodalis fui ordinarius, per duo senior. Ad alia seminaria vel exercitationes benigne me admiserunt W. Aly, cuius exercitationibus Hesiodeis adductus sum, ut huic poetae operam navarem, Fabricius, Finke, Heer, Kieckers, Suetterlin, Thiersch.

Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam, imprimis Alfredo Koerte, quippe qui huic opusculo non mediocriter faverit et benignissimo consilio me adiuverit.

Examen rigorosum habitum est die XXVI mensis Februarii. Paulo post, initio mensis Martii, superavi examen quod ad facultatem docendi impetrandam pertinet.